magiſtri docuerunt : 1. eam vitæ rationem, quæ utramque illam complecti poteſt, eſſe perfectiſſimam; quippe ea via eſt, quam Salvator ſecutus eſt, qui exemplar eſt perfectionis, & ea, ad quam ille Apoſtolos, & apoſtolicos viros vocavit : 2. Chriſtianum, qui evangelica obſervare vult inſtituta, ſemper ſolitudinem verſus inclinare debere, neque mundi negotiis implicari, niſi quatenus ſtatus, & profeſſio ejuſdem patiuntur: 3. cum in mundo impliciti ſumus, quemcumque ſtatum, & quamcumque profeſſionem fuerimus amplexi, utile, & ſæpe etiam neceſſarium eſſe per intervalla in ſolitudinem ſeſe recipere, ubi ſerio ſaluti noſtræ proſpiciamus, & reparemus malum, quod commercium cum mundo intulit nobis.

Solitudo aptiſſimus eſt locus, ubi Cœli gratias recipiamus.

Nemo unus inter Chriſtianos eſt, qui neſciat, peccatoris converſionem opus eſſe gratiæ, & Deum, qui ejuſdem eſt Dominus, eam quolibet loco, & tempore largiri poſſe. Hoc tamen non prohibet, quominus quidam ſint loci, & momenta eidem magis apta, & verum ſit, illius vim ab hujuſmodi circumſtantiis præſertim pendere. Locus autem, ubi gratia efficacius operatur, non eſt mundus, inter negotiorum impedimenta, in converſationibus, magniſque populi cœtibus. Dei vox, qui nonniſi per gratiam loquitur, ibi ſaltem minus frequenter non auditur; ſed in ſolitudine, ut ipſe profeſſus eſt, efficaciter ad noſtrum cor loquitur: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. Oſeæ 2.

Si certum eſt, ſalutis negotium, & peccatoris converſionem tempus requirere, & cum mora aliqua patienter eſſe tranſigendum; quis non videt, in ſolitudine tantum nobis arbitrium eſſe temporis, & extra illam momenta, horas, dieſque noſtros deditos eſſe nugis, vanitatibus, ſolatiis, negotiis, omnibuſque ſæculi cupiditatibus? Quod adeo verum eſt, ut in ipſo mundo, ſi quid accidit, quod attentionem, & mentis applicationem depoſcat, & cui diligenter invigilandum ſit, hominum conſortia fugimus, ſeorſim concedimus, atque noſmet ſecreto recipimus. Quid igitur faciendum, ut magno ſalutis noſtræ negotio vacemus? & ut ſolidam converſionem aggrediamur?

Conſcientiā noſtrā noſſe, & regere non poſſumus, niſi mundi impedimenta evitemus.

Humanum cor exiguus eſt labyrinthus, ambagibus plenus, & abyſſus tenebris operta. Quomodo autem per has tenebras poſſumus inſpicere? Quomodo labyrinthum hunc extricare, omneſque viarum errores intelligere, niſi ſerium adhibeatur examen, & multæ impendantur conſiderationes, quæ nonniſi in ſolitudine fieri poſſunt, ubi mens aliis eſt expedita negotiis, quæ prohibet, ne ſibimet vacet? Præterea parum prodeſt noſſe malum, niſi medicina inveniatur, & niſi adhibeantur præcautiones, quæ neceſſariæ ſunt, ne impoſterum in illud relabamur. Sed quomodonam anima mundana diſcere poterit ſcientiam hanc prorſus divinam ſine attentione, & labore? Quomodo vero hæc haberi poterit intentio, & hoc ſtudium, niſi aliquantiſper a tumultu, aliiſque negotiis recedamus?

Ut divina inſtituta bene cognoſcantur, utque ſanum feratur judicium, quanti illa facienda ſint, attentius, ac propius conſideranda ſunt cum gratiæ auxilio, & luminibus fidei. Auferenda eſt perſona objectis, quibus fallimur, & videndum, quid reapſe ſint; ad quod perficiendum ſatis non eſt leviter ea cogitare, ac dicere nullam nobis eſſe circa fidem dubitationem; plerique enim Chriſtiani hoc ipſum & loquuntur, & ſentiunt. Sed horum inſtitutorum veritas ponderanda eſt, objecta hæc intus, & in cute ſunt exploranda, ut liqueat, quid illa promittant, quid dare poſſint, alioquin quidquid faciatis, ſemper in errore verſabimini, & voluntas veſtra in iiſdem ſemper vitiis permanebit. Igitur commode, ac per otium meditanda ſunt, ad quod ſolitudo omnino eſt neceſſaria.

Sola ſolitudo non ſufficit, niſi accurate ea fiant exercitia, quæ in eadem fieri conſueverūt.

Satis non eſt ſola ſolitudo, quæ peccatores ad converſionem diſponat, ſed requiruntur pietatis exercitia, quibus in ſolitudine vacare oportet, meditationes, lectiones, aliæque conſuetæ ſolitudinis occupationes, & dogmata, quæ ibi percipiuntur. Quamobrem ad fructum, qui ſperatur, recipiendum non ſatis eſt ad tempus aliquod ab hominum conſortio, & mundi ſolatiis recedere; ſedulo hæc omnia obeunda ſunt exercitia, per quæ nullus eſt peccator, qui ſperare non poſſit, ſe optimam facturum eſſe converſionem.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & recentibus concionatoribus loci hujus argumenti.

Neceſſitas ſolitudinis ſpiritualis per intervalla inſtituendæ, & fructus, qui inde percipitur.

Ex omnibus exercitiis pietatis ſpiritualis ſolitudo ad animam convertendam utiliſſimum eſt, & fere ſolum, quo numquam ſine fructu uti poſſimus. Facile eſt leviter affici iis etiam religionis noſtræ veritatibus, quæ ſunt maxime terribiles, cum omnia ad mentem diſſipandam, & cor corrumpendum conducunt; ſed cum a tumultu, atque mundanorum negotiorum impedimento procul per otium magnas illas conſideramus veritates, quas numquam ſatis perpenderamus, & quæ nova in luce refulgent, cum attente eas meditamur, & dum omnia proſunt, ut verum earum ſenſum, omneſque earum effectus intelligamus, poſſuntne illæ non mediocrem habere vim tunc temporis præſertim, cum gratia eſt uberior, mens minus diſtracta, & pacatior, & cor optime diſpoſitum? Miraculoſa tot peccatorum converſio, tot religioſarum domuum vel inſtitutio, vel reformatio, tot Chriſtianorum antea in Dei cultu ignavorum, atque tepidorum fervor ſatis palam oſtendunt, maximæ utilitatis eſſe in ſolitudine ex ordine meditari præcipuas religionis veritates. His pietatis exercitiis S. Carolus Borromæus, S. Thereſia, S. Franciſcus Saleſius, omneſque fere noviſſimorum ſæculorum ſancti viri converſionem ſuam, ſuumque in virtute progreſſum acceptum referendum eſſe teſtati ſunt, & eorum exemplo quicumque ſerio vacare volunt maximo ſalutis ſuæ negotio, omneſque regularium ordines hodierna die hanc veluti inevitabilem legem obſervant, ut quotannis octo ſaltem, vel diebus decem præſtantiſſimæ huic ſolitudini impendant. *P. Croiſet tomo 1. Spiritualis ſolitudinis cap. 1.*

Nequicquam nobis blandimur; difficillimum eſt, pravas arcere cupiditates in mundo, ubi omnia iis fovendis conducunt. Difficillimum eſt diutius in mundo adeo corrupto vivere, atque aerem adeo contagioſum perflare, quin eadem labe inficiamur. Maximus quilibet fervor temporis progreſſu intepeſcit, conſtantiſſima quælibet virtus per intervalla novis indiget virium incrementis; ideo neceſſario a turba recedendum eſt; aliquando ſaltem confugiendum eſt in ſolitudinem, ut purior aer reſpiretur. Cum fere ſemper nimis magna ſpiritus evagatione, & commercio cum hominibus fervor tepeſcat, & langueat virtus, huic languori, viriumque decremento nonniſi per receſſum, animique collectionem afferri poteſt medicina. Spiritus ſanctus viſibili forma nonniſi in deſertum dilapſus eſt, vel cum Apoſtoli in cœnaculum ſeſe receperant. Dicere poſſumus, JESUM CHRISTUM ideo toties ſolum in montem ad orandum receſſiſſe, ut exemplo ejus edocti intelligeremus neceſſitatem per temporum intervalla in ſolitudinem confugiendi; & ipſe quidem in ſolitudine tribus Apoſtolis prægustandas præbuit cœli delicias, eoſque maximis favoribus cumulavit. Æquene licet detrectare rem adeo utilem, facilem, & neceſſariam? *Idem*.

Excuſatio & inutilis prætextus eſt negotiorū multitudo.

Facile fatetur quiſque, ſummam eſſe ſolitudinis utilitatem, immo & neceſſitatem; tota in eo vertitur difficultas, ut tempus inveniatur; hæc vulgatior eorum eſt excuſatio, qui hoc ſaluberrimo conſilio non utuntur. Verum admittenda ne hæc videtur excuſatio? Nos, inquiunt, diſtinent negotia, quæ omne tempus abſorbent; quid ergo ſalutis noſtræ negotium non eſt? Num aliquod erit negotium, quod propius nos tangat, & quod majoris momenti nobis eſſe videatur? Heu! Hoc unum proprie nobis negotium eſt; tota vita ideo nobis conceditur, ut illi vacemus; non brevius temporis ſpatium ad id requiri cenſuit Deus, & ſi octo, vel decem in anno invenienda ſunt dies, quibus huic tantum negotio, quod unicum eſt, navemus operam, tempus deeſt? Si ægrotamus, valetudinis cura aliam quamlibet curam extrudit; ſi periculum eſt, ne judicio victi de hæreditatis poſſeſſione deturbemur; ſi amico, vel conſanguineo moleſtum aliquod negotium incidat, pluribus menſibus aliud quodlibet negotium nobis interdicimus, & huic uni vacamus. Tunc id neceſſitas poſſere dicitur; at nonne majoris neceſſitatis eſt e peccati ſtatu emergere, quam ex morbo convaleſcere? Nonne magis neceſſarium eſt cœlum non amittere, quam hæreditatem tueri? Quid noſtra magis intereſſe debet, quam ſalus animæ noſtræ; & quid utilius, quam certas invenire rationes ſancte moriendi? Quid nobis magis antiquius eſſe debet, quam ex manifeſto æternæ damnationis periculo evadere? Speramus, nos ſaluti noſtræ impenſuros primum illud ſpatium, quod nobis negotia permiſerint. Heu! niſi ipſi temporis ſpatium arripuerimus, nullum nobis negotia permittent. Num aliquod adhuc nacti ſumus, ex quo illud inquirimus? Salutem noſtram non adeo contemnamus; eam intueamus dumtaxat tamquam negotium, & facile octo, vel decem dies inveniemus, quibus magno huic vacamus negotio, quod proprie noſtrum eſt negotium, & quod eſt negotium, æternitatis. *Idem*.

Qui magis virtute ſunt præditi, credunt ſe ſubinde ſolitudine indigere.

Mirum eſt innocentiſſimum quemlibet, hoc eſt illum, qui minus indiget, credere ſe ſine ſolitudine ſtare non poſſe. Apoſtolici viri, qui mundum non vident, niſi ut illum ſanctificent, timent, ne & ipſi pervertantur. Iſtæ animæ puræ numquam Dei excidunt præſentia; fatentur tamen, ſe in ſanctiſſimis zeli ſui exercitiis diſſipari. Hi chriſtianæ religionis heroes ſanctiſſimos labores ſuos ex intervallo interrumpunt, ut in ſolitudinem ſe recipiant; neque putant ſe melius præſervari poſſe a mundi contagione, quam ſubinde ſeſe recipientes, ut in receſſu novas vires, & nova ſumant antidota. Religioſi magis regulares, quorum vita jugis eſt ſolitudo, nondum ſatis ſe receſſiſſe putant; ii vero, qui nequaquam arbitrari poſſunt ſe vitam æque ab omni ſcelere puram ducere, & quibus tanta virtus non eſt, iis, qui in ſingula momenta graviſſimis patent lapſibus; qui in jugi mentis evagatione, ac in corrupto mundo verſantur; hi putabunt aliquot ſolitudinis dies ſibi neceſſe non eſſe? Bona fide fateamur; hic voluntas deeſt, non tempus. *Idem*.

Solitudo homini utilis, & accepta Deo.

Difficile non eſt intelligere, quam hæc adeo chriſtiana praxis utilis ſit omnibus mortalium generibus, & quam efficax ſeu ad peccatores ab erroribus revocandos, & reducendos ad Deum, ſeu ad confirmandos juſtos, & ad ſublimiorem perfectionis gradum attolendos. Præterquamquod meditationes, quæ ibi fiunt, circa præcipuas religionis veritates verſantur, difficile eſt ei, qui maxime ſerias occupationes intermittit, atque hominum commercium fugit ſuæ tantum ſalutis negotio vacaturus, difficile eſt, inquam, hoc negotium illi e ſententia non contingere; & Deus, qui citra faſtidium tandiu quærit eos, qui longius ab ipſo recedunt, Deus, qui non ceſſat vocare eos, qui fugiunt, & loqui ad eos, quos tumultus negotiorum mundi voci ſuæ officit, recedetne ab illis, qui in ſolitudinem uſque ſeſe recipiunt eum quæſituri? & nonne palam loquetur ad eos, qui a rebus omnibus recedunt, ut illum audiant? *Idem*.

Difficile eſt ſeſe non dedere iis veritatibus quas in ſolitudine meditamur.

Attente perpendat mortalis vanitatem rerum omnium quæ placent, & quæ in mundo majorem afferunt oblectationem; ſerio per otium conſideret plerarumque curarum noſtrarum inutilitatem, voluptatum inane, & nihilum earum rerum omnium, quæ mundi magnitudo vocantur; recogitet, quid ipſe in hora mortis cogitabit, meditetur quanam pernicitate, quidquid nunc nos palpat, tunc evaneſcet; videat deplorabilem animæ ſtatum Dei judicium prodeuntis, quin aliquid umquam fecerit, ut illi placeret; ſibi repræſentet corpus ſuum in ſepulchro a vermibus depaſtum; homo ſerio conſideret quidquid credit de inferno, judicio, ac æternitate, ſcrutetur omnes divinæ juſtitiæ auſteritates, prævideat, quid futurum ſit; poteſt ne ſeſe non dedere gratiæ, quæ ſemper felicibus hujuſmodi momenti ſtudet uti? Hujuſmodi conſiderationes frequentarunt deſerta, & quotidie religioſas domos frequentant, & per illas peccatores a ſceleribus ſuis reſipiſcunt. Si artem invenis efficiendi, ut crebro hujuſmodi fiant conſiderationes, jam inveniſti artem reformandi mores hominum, alendi fervorem in cœnobiis, majora mala prohibendi; jam ſanctos efficiendi artem inveniſti. Hoc autem illud proprie eſt, quod in receſſibus, de quibus loquimur, ipſi nobis proponimus, hoc eſt efficere, ut ſeriæ fiant conſiderationes circa præcipuas fidei noſtræ veritates. His diebus omnia in hoc vertuntur, ut noſtra vitæ ratio, ac fides noſtra ad examen vocetur; hi proprie ſunt dies conſiderationis; unde facile judicari poteſt, quam praxis adeo chriſtiana, & neceſſaria utilis eſſe debeat, & quanti referat, eamdem perfecte obire: & quam vani, ineptique ſint prætextus, quos amor proprius invenire poteſt, ut nos ab eadem diſpenſet. *Idem*.

Solitudinum uſus non eſt novum adinventum.

Neque putes nudius, ut ita dicam, tertius conſuetudinem hanc percrebuiſſe; ea quippe præſtantiſſimis omnium ſæculorum ſanctis fuit maxime familiaris. Quamquam primorum fidelium vita jugis eſſet ſolitudo, hoc tamen illis in more poſitum erat, ut peculiari quodam receſſu ſeſe præcipuis eccleſiæ ſolemnitatibus diſponeret. Ad hanc pietatis praxin veteres aſceticæ vitæ magiſtri tepidas animas, & imperfectos religioſos remittebant. Dicere etiam poſſumus Jeſum Chriſtum horum frequentium receſſuum nobis primum exemplum præbuiſſe, ſæpe clanculum aufugientem a turba, quæ ſequebatur illum, immo etiam a diſcipulis ſuis, ut ſolus in montem, vel in aliquem deſertum locum oraturus ſecederet; & fructus, qui ex hoc pietatis exercitio percipitur, palam oſtendit, quantopere eidem acceptum ſit. *Idem*.

Sancta hæc praxis omniū ſtatuum, & conditionum eſt propria.

Hoc pietatis exercitium adeo utile, & neceſſarium facile cum omnibus ſtatibus, omnibuſque occupationum, munerumque generibus ſe accommodat. Indiſcriminatim proprium eſt ſæcularium æque, ac regularium, eorum, qui ad ſublimem evaſere perfectionem, & eorum, qui vel incipiunt, vel opus habent, ut convertantur. Nullum magis efficax remedium eſt ad eos præſertim curandos, quorum fervor intepuit; quod ſi in eorum anima nil operatur, malum ipſorum fere eſt inſanabile. Sed cum eccleſiaſtici, ac religioſi ad majorem perfectionis gradum pervenire teneantur, quam cæteri fideles, liquet, ſolitudinem illis magis eſſe neceſſariam ad eorum fervorem fovendum, præterquamquod facilius invenire poſſunt tempus, & rationes id efficiendi. *Idem*.

Dei filios ſuos nos docet exemplo ſolitudinem amare.

Cur videtur nonnumquam Salvator eos fugere, qui illum ſequuntur? Dicitur in evangelio ille montem aſcendere, & ad radices ejus reliquiſſe populum, qui ſequebatur eum; proculdubio ut doceret eos, qui per ſtatum ſuum tenentur in mundo verſari, ſubinde in ſolitudinem confugere, ut per orationem, aliaque pietatis exercitia eum colligant ſpiritum, quem magna negotia diſſipant. Etenim crebro contingit in inſignibus, ac laborioſis conditionibus eis, qui terrenis occupati ſunt rebus, tempus omnino deeſſe, quo ſpiritualibus vacent. Totam tranſigunt vitam aliena curantes, quin vel momentum ſibimet impendant; & miſere moriuntur nimis a toto cogniti mundo, quin ſe ipſos umquam cognoverint. Ad hæc adjicit evangelium, Salvatorem, cum aſcendiſſet in montem, diſcubuiſſe cum diſcipulis ſuis; unde intelligere eſt, in ſolitudine mentem, poſtquam agitata fuit tumultu, & impedimentis mundi, cum Deo ſuo guſtare tranquillitatem, quam, qui in mundo ſunt, neſciunt, & quæ haberi poteſt tamquam maxima vitæ voluptas. *Abbas de Monmorel in Evangelio dominicæ quartæ in quadrageſima.*

Solitudo neceſſaria eſt diſpoſitio ad recipiendum Spiritum ſanctum.

Solitudo habenda eſt tamquam prima diſpoſitio, quam afferre debemus, ad recipiendum Spiritum ſanctum. Illic a mundi commercio ſemoti cor noſtrum omnibus terrenis affectibus exoneramus, ac nos in ſtatum adducimus ibi Deum hoſpitio recipiendi, qui in nos venire, ibique manſionem ſuam vult conſtituere. Etenim, ut S. Cyprianus Epiſt. 2. ad Donat. ait, in tranquillo tantum propitiæ ſolitudinis portu oculi ad Deum inceſſanter poſſunt attolli, ac tanquam inferiora deſpicere, quæcumque alii in mundo majori habent in pretio. Si eos conſulimus, qui per intervalla huic ſancto vacant exercitio, affirmabunt ipſi, ſe numquam inde egredi a terrenarum rerum affectionibus magis expeditos, nec magis Dei ſpiritu repletos. *Idem in ſermone in Evangelium Dominicæ Pentecoſtes.*

Quam neceſſaria ſit ſolitudo, ut in perfectione progrediamur.

Quam maxime intereſt per intervalla ſecedere, quamvis ad paucos dies: hoc enim eſt accedere ad Deum, ut illuſtremur gratia illius, & ut in perfectione creſcamus. Cum anima ſolitudinem metuit, & refugit receſſum, ſignum eſt ipſam de progreſſu ſuo parum eſſe ſollicitam, immo etiam ſuam ſalutem negligere; quoniam ſerio utrique vacare non poſſumus, niſi ad aliquod tempus recedamus a qualibet ſocietate, & ſolatio, nobiſmet ipſis dumtaxat proſpecturi, & niſi in hac ſolitudine cor noſtrum inveſtigemus, ſecretioreſque illius motus ſcrutemur, atque adnitamur primum quidem detegere, mox vero conſcientiam noſtram ſapienti confeſſario aperire, qui nos ab erroribus revocet, & in viam ſanctitatis deducat. *Ex tomo primo Epiſtolarum Pater Surini.*

Receſſus non minus animæ, quam corporis morbis neceſſarius.

Mirum ſane eſt, facile intelligi ſolitudinem, atque receſſum curandis corporum morbis eſſe neceſſarium, & intelligi nequaquam poſſe eumdem multo magis neceſſarium eſſe animæ ægritudinibus. Non licet ægrotantem videre, vel alloqui, cujuſcumque momenti ſit negotium illud, de quo ſermonem

nem habere velles; & hinc etiam ſæpe ejus pendet valetudinis cauſa. Et qui ſerio animæ ſuæ mederi vult, credit ſe multi juga negotiorum varietate poſſe diſſipari? Ignorarine poteſt tantam eſſe mundi contagionem, ut fugienda ſit, quemadmodum eam fugimus domum, in quam lues debacchatur? Cum de corporis vita agitur, non hæret aqua, & citius quam fieri poteſt; fuga capeſſitur. Verum quidem eſt, hanc ſæculi contagionem non ſemper evitari poſſe: quædam ſunt vincula, quæ etiam ſecundum Deum ſunt neceſſaria; ſed mundi commercium interiori motu ſemper evitandum eſt. *Liber cui titulus documenta chriſtiana in Epiſtolam Dominicæ ſecundæ Adventus.*

Bona viventium in ſolitudine.

En quanam in re potiſſimum conſiſtat magnum periculum, qui vivunt in mundo, & magna eorum felicitas, qui a mundo recedunt; quod mundus proprie eſt dæmonis regnum, quoniam illius princeps eſt, ut loquitur Jeſus Chriſtus. Illic ſuos tendit laqueos, ac ſtruit inſidias, illic clam ardentes ſagittas contorquet, quibus eorum tranſverberat cor, qui Deo vellent inſervire: *Ut ſagittent in obſcuro rectos corde.* Pſalm. 10. At a mundo recedentes, ac in ſolitudine viventes, iiſque utentes armis, quas fides miniſtrat, longe facilius ab omnibus hiſce laqueis liberamur, ſi iis bene utimur auxiliis, quæ in receſſu invenimus. *Idem.*

Solitudo generatim ſpectanda eſt tamquam portus tutus contra fortunæ vices, atque libidinem, necnon contra vitæ impedimenta, mundi ſtrepitum, & negotiorum tumultum. Illic eas fugimus cognitiones, quæ nos fatigant, converſationes, quæ tædium afferunt; vel ut ſanctius loquar, illic gratiæ ſunt uberiores, præmia ſunt magis magnifica, errores infrequentiores, promptior pœnitentia, vita tranquillior, mors ſuavior, beatior æternitas ... Hoc tot ſummos viros, inſigneſque ſanctos impulit, ut hoc vitæ genus amplecterentur; & quot in mundo extitere ex iis principibus, quos ſolitudines ſibi ædificantes Job repræſentat? Quot majorem nominis celebritatem imperii abdicatione, quam diadematis fulgore ſibi compararunt? Quot ſanctam tranquillitatem regni tumultui prætulerunt? Quot ultro abjecerunt, quod legitime poſſidere poterant? ... Illis palam perſuaſum fuit, mundum eſſe pelagus æſtuoſum, & inhoſpitale, ubi iter inſtitui non poteſt citra naufragii periculum, diluvium iniquitatum adeo late effuſum, ut columbæ innocentes non inveniant, ubi pedem figere valeant; theatrum, ubi virtus vix prodire audet, & ubi vitium triumphat *Auctor actionum chriſtianarum in Panegyrico Beati Simonis Stok.*

Utilitas, quæ in ſolitudine percipitur.

Ne nobiſmet ipſis os ſubliniamus: aliquot nobis dies in ſolitudine traducendi ſunt, ſi innocentiam ſervare cupimus, ac nos in virtutis praxi continere. Nobiſmet perfugium comparare debemus contra mundi tumultum, ac ipſius familiæ impedimentum. Conſilium maximi momenti, quod S. Hieronymus illuſtri cuidam, pieque ævi ſui matronæ præbebat. Quære tibi, ait ille, commodum locum, quo ab omni ſtrepitu procul tamquam tutam in ſtationem ſubinde concedere valeas. In hoc receſſu poſt turbas, atque procellas pacem, & requiem invenies; hoc pacto redimes tempus, quod inutilium rerum curæ impendiſti, ſeu orationi vaces, ſeu evangelicarum veritatum meditationi. Hoc non dico, ut tibi otium ſuadeam, ſed ut te ad actionem inſtituam; ex hac ſolitudine egredieris aptior muneribus tuis obeundis, tuæque dignitati tuendæ. Illic neceſſaria recipies lumina, ut in ſtatu tuo ſancte vivas, atque ut chriſtiane cum mundo verſeris. *Idem.*

Omnes magni viri graviſſimis muneribus ſuis obeundis per receſſum ſeſe diſpoſuerunt.

In receſſu Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Apoſtolos, ibique illis divinorum myſteriorum tribuit cognitionem, illic Joannes Baptiſta parat vias Meſſiæ, eique recentem populum format; illic Moyſes artem regendi populum Iſrael docetur; illic S. Paulus gratiis apoſtolatus repletur. Ubinam ſanctiſſimus quiſque cum Deo didicit converſari? In ſolitudine; Dei ſpiritus eos illuc ſæpe deduxit, ut poſtmodum liberarent alios ſpiritu erroris, quo excæcabantur; Juſtitiæ ſpiritus illos impulit, ut ſine aſſentatione vitioſos corriperent; ſpiritus Fortitudinis eos adegit, ut ignavos excitarent, ne animos deſponderent. *Idem in ſermonem de religioſæ vitæ officiis.*

Solitudo proprius eſt locus ubi recipere poſſimus cœli lumina, & noſmet Deo penitus devovere.

A Mundo ſeparati, qui fons eſt diſſipationis, quam in ſolitudine nanciſcimur facilitatem, ut bona adimpleamus conſilia, quæ Deus nobis inſpirat eidem ſerviendi, ac noſmet illi penitus devovendi? Domus ſolitudinis propugnaculum eſt inacceſſum iis rebus omnibus, quæ nos diſſipare poſſent; prohibet ſilentium, ne in nimis aſſidua mortalium frequentia id amittamus, quod per mundi fugam adepti ſumus: minima momenta ibi diſpoſita ſunt, & repleta, ne ſæculi inutilitates animæ requiem perturbent. Cum non alliciamur amplius objectis, nonniſi indignabundo oculo ſæculum ſpectare poſſumus: gemimus intuiti tot mortales negotiis inutilibus impeditiſſimos, quin aurem adhibeant voci Dei illos de veritatibus ſuis erudientis; ſemper agitati, ſemper fluctuantes, fieri ne poteſt, ut indeſinenter diſtracti, ac nugis præpediti audiant Dei vocem, eique reſpondeant? Æternæ veritates num minorem flagitant attentionem, quam humanæ ſcientiæ? Hæ licet naturales ſint, mentem poſtulant quietam, atque tranquillam; num aliquod minus requiritur, ut æternis veritatibus, & prorſus divini cogitationibus repleamur? *Idem.*

Omnes veri Chriſtiani ſolitudinem amare debēt.

S. Auguſtinus nobis oſtenſurus amorem illum, quo proſequi debemus ſolitudinem, re adhuc integra ſtatuit, quid pro ſolitudine intelligat, & docet, ſanctam quietem, ubi anima ab omnibus curis vacua contemplatione veritatis occupatur. Nobis exhibet ſanctam hanc requiem, veluti beatiſſimam conditionem, ad quam homo adhuc vivens valeat pervenire. Qui chriſtiane occupatus eſt, ad ſanctam hanc quietem anhelat, atque huic duriſſima neceſſitas eſt hujus ſtatus felicitatem relinquere. Cum actioni intentus eſt, cor ſolitudinem petit, atque cupit ſemper ſua vincula infringi, ut liberius eam ingredi poſſit conditionem, quam non niſi invitus reliquit. Quam neceſſe eſt has probare veritates hoc ſæculo, quo homines ſolitudinem oderunt! Fingunt ſibi illic non niſi triſtes tranſigi dies poſſe. Hominum plerique inter tumultus diſſipatam vitam agunt: eccleſiaſtici hac in re corruptum ſæculi guſtum ſequuntur: dignitates ambiuntur, quiſque eniteſcere quærit, & quidam etiam ſolicitudinem ſuam excuſare ſtudent ſpecioſo zeli, ac deſiderii ſalutis animarum prætextu. *Lambert tomo primo ſermonum eccleſiaſticorum ſermone ſeptimo.*

Qua mente inquirenda ſit ſolitudo.

Cum loquimur de receſſu, ac ſolitudine, nequaquam loquimur de receſſu triſtium hominum, qui mundi oculos fugiunt, ut mæſtum, tetrumque ingenium ſuum foveat. Illuc ingredi oportet, ut Chriſtianum decet, ut vitam ſecundum religionis principia formemus, ut animum advertamus omnibus procellis, quibus in vita agitati fuimus, omnibus periculis, e quibus evaſimus, & illis etiam, quæ poterunt occurrere. Qui hoc animo ſolitudinem quærit, inde creaturas procul abeſſe inveniet, atque eadem utetur, ut animum ſuum ab illis divellat, quod profecto documentorum omnium eſt maximum: ſi enim creaturis bene utendi ſcientia magna eſt, illis carendi profecto major eſt. Cavebit, ne e creatis rebus abhorrens nimis mordicus ſuo adhæreat ingenio, neque nimis ſuum ſenſum ſequatur, qui ſcopulus eſt ſolitariorum; exempli gratia, non magnæ libertatis indicium eſt hunc deſerere locum, ut alteri adhæreas. Si quæris ſolitudinem, modo ſolitarium, & a mundi negotiis expeditum habeas animum, ibi quietem invenies; at ſi te receperis corde cupiditatibus agitato, invenies malaciam in procellis, exterioremque fugiens tumultum te invenies ſexcentarum cogitationum, conſiderationum, curarumque impedimento irretitum. *Liber cui titulus*: La conduite du ſage, dans les differens ètats de la vie.

Solitudine ſubinde indigemus.

Ut in virtute progrediamur, nihil magis neceſſarium eſt, quam recedere, & ſeſe colligere; & impedimentum negotiorum, quod cauſaris, ratio eſt, quæ ſolitudinis hujus neceſſitatem oſtendit. Quo magis extrinſecus effuſi ſumus, eo magis indigemus, ut ſaltem per intervalla noſmet colligamus; alioquin optimæ quævis occupationes nos magis, magiſque diſſipant. Negotia quantumvis juſta ſint, mentem occupant, ac attentionem dividentia illam diſtrahunt, & diſſipant. Objecta vel moleſta, vel jucunda, quæ in obeundis negotiis ſeſe nobis offerunt, cum excitent cupiditates, ſunt magna diſſipationis occaſio homini, qui ſeſe colligere negligit. Denique imperfectarum multitudo intentionum, quæ noſtris ſeſe immiſcent actionibus, ubi nos nobiſmet non invigilamus, cor noſtrum dividens mirum in modum diſſipat mentem. Sanctiſſimus quiſque lacrymis proſecutus eſt hanc in ſe ipſo cognitam diſſipationem. Sanctus Bernardus, qui magno cuidam Pontifici malum hoc exprobraverat, ipſe etiam ſuam deflet calamitatem, eo quod in illud inciderit: & nos non dolemus, quia eadem diſſipatio vetat, ne illius ſentiamus effectus, & exitum vereamur. Quamobrem ſolitudo prorſus eſt neceſſaria, ut ſerio ad id ani-

mum

mum advertamus, &c. *Pater Nepveu tom. 4. conſiderationum.*

De interiori ſolitudine.

Verum eſt non omnes natos eſſe, ut in deſertis vivant; & ſolitariam vitam traducant; ita non jubet Deus, nos vel in ſpecus, & ſolitudines concedere, ubi mundi ſpiritus nobis obeſſe non poſſit; ſed tantum nobiſmet vult nos in imis cordis receſſibus ſolitudinem ædificare, ubi ita collecti, ut olim regina Eſther inter aulæ Aſſueri regis delicias, vere cum illa dicere poſſimus: Noſti, Domine, me ex quo pedem in hanc aulam intuli, neque regia potentia, neque coronæ fulgore, neque majeſtatis illecebra, neque conviviorum magnificentia, neque deliciarum copia fuiſſe permotam. Ratio ſtatus mei paſſa non eſt me hæc fugere, verumtamen illa nullo umquam habui in diſcrimine, ac in uno te, qui es Deus Abraham, voluptatem inveni. Hos S. Gregorius eos eſſe dicebat, *qui ædificant ſibi ſolitudines.* Iob 3. Hoc eſt expeditum eſſe a creatarum rerum amore, nihil ex mundi hujus bonis cupere, ac nullam in anima ſua turbam pati. Solitudinem ſibi ædificare eſt ſemper ſolum eſſe cum Deo in interiori cordis ſui parte, licet inter frequentes ſodalitates, & omnia objecta, quæ ſenſus afficiunt, verſeris. Solitudinem ſibi ædificare eſt perfectam quærere charitatem, quæ nos intus concludit, & prohibet, ne extra diſſipemur. *Auctor ſermonum chriſtianorum ſermone pro 2. Quadrag. Domin.*

Deus ſemper in ſolitudinibus, ſemotiſque locis voluit docere.

In devios ſemper montes, ſemotaque deſerta Deus mortales perduxit, cum illos docere voluit, eiſque magnum aliquod myſterium aperire. In Monte Sinai tradidit Deus Moyſi tabulas legis; in monte Jeſus Chriſtus Apoſtolos ſuos virtutes evangelicas docuit; in monte elegit illos ex diſcipulis, qui ipſum ſequi debebant, & eſſe Evangelii præcones. In deſerto quinque panes, duoſque piſces inſigni miraculo ita multiplicavit, ut quinque hominum millia ſaturarentur; & nemo neſcit, Apoſtolos tunc in receſſu fuiſſe, cum in eos dilapſus eſt Spiritus ſanctus, ut illos charitatis igne inflammaret: adeo verum eſt, placere Deo ſeſe communicare illis, qui a mundo ſeparati ſunt, & beneficiis ſuis cumulare illos, qui ſolitudinem diligunt. *Idem.*

Oratio Deo acceptior eſt in ſolitudine.

Si res numquam majorem vim habent, quam in centro, elementoque ſuo, ubi inveniunt neſcio quam virtutem, qua deſtituuntur ſtatim, ac inde recedunt; cur non dicendum erit, cum ſolitudo ſit quodammodo naturalis locus orationis, hanc ibi peculiarem virtutem nanciſci, quam alibi ubique non obtinet? Oratio extrinſecus magnam poſcit tranquillitatem, magnam intus pacem, ſanctum animæ otium, perfectam cordis ſejunctionem ab iis omnibus, quæ mortalia ſunt, ac integram Deo attentionem, cujus cor flectere ſtudemus: alioquin efficax non eſt. At hiccine eſt mundi ſtatus, qui ſexcentis eſt periculoſis negotiis immerſus? Nequaquam; non audit Deus preces noſtras in plateis, inquit Iſaias; in ſolitudinibus, in montibus, in ſecretis locis audit Deus vota Abrahæ, Jacob, & Moyſis; neque plena in luce, ac inter tumultum, ſed in nubis caligine, ac ſilentii tranquillitate. In ſpecus aditu Elias zephyros audit, & in deſertis, montibuſque Jeſus Chriſtus orans noctes traducit. *Idem in ſermone de ſancta Scholaſtica.*

In ſolitudine peculiari modo Dei præſentia perfruimur.

Quo magis anima a creatis rebus recedit, eo magis Dei præſentia perfruitur; non dico generali hac præſentia, per quam eſt ubique, ſed particulari, quæ ſpiritum, & cor hominis cum Dei ſpiritu, & corde conjungit. Sumus quidem ſemper præſentes Deo, quia ſemper ob oculos ejus verſamur; ſed non ſemper Deus præſens eſt nobis, quia non ſemper recordamur nos ab illo videri. Commercium hoc mutuum eſt inter illum, & animam ſanctam; quæ dicere poteſt: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cantic. 1. Deus ſane ubique eſt, & ubique efficere poteſt, ut audiatur; ſed Deo, & homini ſæpe accidit, quod duobus amicis, qui ſimul ſunt, ſed qui nihilominus nequeunt ſecum familiariter loqui, quia non deſunt circum illos ſocii, qui in ſingula momenta illos interpellant. In libera, expeditaque converſatione, *clauſo oſtio*, Salvator ait, corda invicem ſeſe produnt: *Sicut ſolet loqui homo ad amicum*; ita Moyſes cum Deo in monte ab hominum commercio ſepoſitus loquebatur. *P. Dozenne in morali Jeſu Chriſti.*

In ſolitudine cum Deo agendum eſt de ſalutis ſuæ negotio.

In penetralibus, atque ſecretiori cubiculo magna pertractantur negotia. Maximum autem, quod nobis ſit negotium, vel ut melius dicam, unicum eſt noſtra ſalus, atque profeſſio. Propalam pro aliis magis, quam pro nobiſmet ipſis laboramus; ſed receſſus in hoc ad noſtram ſanctificationem præſtat, quod amovet a nobis maxima quævis impedimenta, nobiſque magna confert ſubſidia. Si enim oblivio Dei efficit, ut in omnia ruamus ſcelera, Dei memoria in nobis virtutes omnes producit. In ſolitudine autem illa quidem evitatur, hæc autem invenitur. *Idem.*

Ita S. Gregorius Magnus in Pontificali cathedra ſedens, & graviſſimis implicitus curis gemebat ſub ſarcina, quam illi mundi onus imponebat, atque ſolitudinis deſiderio conficiebatur, donec dignitatis ſuæ muneribus perfungebatur eo ſucceſſu, qui mundi totius admirationem in eum convertebat. Plures operum ejus loci nobis hac in re cordis illius affectiones oſtendunt; præſertim vero dialogorum præfatio. Etenim quaſi interrogatus eſſet, quamobrem tantopere oppreſſus, tædio affectus videretur, reſpondit: Triſtitia, quam patior, tota ſimul & vetus eſt propter habitus diuturnitatem, & nova propter illius incrementum, quod ſentio. Spiritus enim meus jugibus munerum meorum impedimentis afflictatus revocat ideam ſtatus beati, quo olim in ſolitudine perfruebatur. Meminit quantum infra ipſum eſſet, quidquid moritur, & quantum ipſe ſuperior eſſet iis rebus omnibus, quæ tranſeunt; ſe olim cœleſtibus dumtaxat vacare conſueviſſe, & quamvis corpori adhæreſceret, ſe tamen contemplationis volatu ſupra quidquid corporeum eſt, aſcendiſſe. Sed nunc propter munus paſtorale ſpiritus meus temporalibus mortalium negotiis torquetur, ac ingemiſcit recordatus vitæ adeo puræ, quam in ſolitudinis quiete traduxit, & videns ſe terrenarum curarum, quibus ſeptus eſt, pulvere ſordeſcere. Cogito igitur, quod patior, cogito, quod amiſi; & quo magis conficior deſiderio ejus boni, quod perdidi, eo magis ingemiſco ob malum, quod patior. *Liber, cui titulus: Solitudo pro ordinandis edita a Curato ſancti Sulpicii Pariſienſis.*

Apoſtolici viri ſemper ſolitudinem quæſivere.

Talis fuit ſpiritus ſanctorum inter Apoſtolicos labores: in ſolitudine ad munera ſua obeunda ſe ipſos formaverant, amor ſolitudinis illos inter negotia tuebatur, & hic ſolitudinis amor apertum erat indicium, quod eos Dominus muneribus ipſorum vacare volebat. Non defuerunt etiam quidam, veluti S. Gregorius Nazianzenus, qui ſuis ſe muneribus abdicarunt, ut in ſolitudinem reverterentur reparaturi id, quod munus ſuum in ipſis imminuere potuerat zeli, quem hauſerant in ſolitudine. Quod ſi ſanctorum horum hominum vitæ rationem inſpexerimus, haud ægre quanta ſint ſolitudinis bona intelligemus. *Idem.*

Quid conſilii in ſolitudine capiendum, & quid conſiderandum.

Si verum eſt, quod ait Propheta, terram deſolatam eſſe, eo quod non ſit, qui recogitet corde; ubi melius ea conſiderare poſſemus, quæ ſunt ad proximi, & noſtrummet ipſorum ſanctificationem utiliam, quam in ſolitudine? Ubi melius ſanctum illud exequi poſſemus Ezechiæ regis conſilium: Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ? *Recogitabo.* Mecum tacitus reputabo omnes annos meos, qui effluxerunt, ex quo in lucem editus ſum, eoſque in memoriam revocabo; diligenti examine illos excutiam. Et ſane utiliſſimum eſt conſilium de ſe ipſo cogitare, atque ſtatum, in quo ſumus, conſiderare, & vitam anteactam ad examen vocare. Omnes anni noſtri fluunt, quin aliud cogitemus, quam quod cum iiſdem annis fluit; atque hac in re parum intercedit diſcriminis inter nos, & pueros, qui in matrum utero moriuntur. Ex hac vita egreſſi ſunt, quin cognoverint, vel experti fuerint, quid in eadem acciderit; nos vero noſtram tranſigimus, quin animum advertamus unquam ad id, quod in ea cognoſcimus, & experimur, niſi cum omnia præterierunt. Has autem ſaluberrimas conſiderationes, ubi melius, quam in ſolitudine facere poſſumus? *Idem.*

Si ex me quæris, quid hac in ſolitudine cogitandum; heu! quænam objectorum multitudo ſeſe tuæ menti objiciet! Cogitanda ſunt crimina, quæ patrata fuerunt, quot, quantaque fuerint; cogitanda eſt nequitia, & ingratitudo noſtra; pœnæ impœnitentibus peccatoribus præparatæ, pœnarumque æternitas, quæ iiſdem inſtat: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Pſalm. 76. Attente conſideranda ſunt noviſſima; mors proxima, quæ poſtremus erit vitæ noſtræ terminus; finale judicium, quod poſtrema erit fati noſtri ſententia; terribilis infernus, qui extremum erit criminum noſtrorum ſupplicium, niſi in hac vita egerimus pœnitentiam; Paradiſus, æternaque beatitudo, quæ extrema erit noſtræ virtutis merces. Denique opus eſt noſmet eximamus ex eorum

im-

imprudentium numero omni ratione carentium, qui eorum obliviſcuntur rerum, quæ ipſos adeo prope attingunt: *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent*. Deuter. 52. Opus eſt tandem, ut filium prodigum in ipſius converſione imitati tandem aliquando ad nos revertamur. *Idem*.

Niſi aliquamdiu in ſolitudine permaneamus, veritates chriſtianæ non magnam in animo noſtro vim poſſunt habere.

Conſiderationes, & chriſtianarum veritatum meditationes, niſi feriæ, frequenteſque acceſſerint animadverſiones in plurium dierum receſſu, neque efficaces ſunt, neque duraturæ; celer enim, & perfunctorius adſpectus non ſatis magnam vim habet, ut nos impellat ad amplectenda ea, quæ ſunt difficilia, & quibus natura valida repugnat. Quoties bonas habuiſtis cogitationes, ſanctoſque motus erga bonum, & virtutis exercendæ deſideria! Sed quia obiter illas habuiſtis, nec ſatis attente harum veritatum pondus eſtis ſcrutati, nonne verum eſt, eas nullum in vobis bonum effectum peperiſſe? Illæ per otium erant meditandæ, ſumendumque tempus, ut in bonis his conſiliis confirmaremini. Bonæ cogitationes, quæ ſubinde vitam chriſtianam ducendi in nobis excitantur, non ſufficiunt, ut id opere compleamus. Primæ ideæ ſunt veluti primitiæ ratiocinationis, & iteratæ conſiderationes locum tenent concluſionum: *Cogitavi vias meas*, inquit Propheta Pſalm. 118. *Et converti pedes meos in teſtimonia tua*. *Idem*.

Qui ſolide domum vult ædificare, Jeſus Chriſtus inquit in evangelio, antea fodit fundamenta; & ex S. Ambroſii ſententia Deus in rerum ſpecie, ac ſuperficie non invenitur: *Deus in ſuperficie non jacet*. Pauliſper cogitandum, & recogitandum nobis de nobis eſt; officia noſtra conſideranda, perpendenda munera, ac iterum, & ſæpius ad examen revocandus ſtatus ille, in quo ſumus. Etenim quod primo ſtatim intuitu bonum videtur, ſi rite ad examen revocetur, malum eſt, & quod verum videbatur, falſum eſſe invenitur. Quoties quotidie ob attentionis defectum fallimur? quoties nos pœnitet, eo quod primis adhæſimus conſiliis? Si in terrenis hoc verum eſt, quanto magis in iis, quæ ad ſalutem pertinent, quæ in ſemeptiſis tanti momenti ſunt, & adeo difficile reparantur? Quamobrem ut tuto conſilium capiamus ſeu pro vitæ genere, quod amplectendum, ſeu pro modo, quo in hac re noſmet gerere debemus, aliquamdiu cum Deo in ſolitudine deliberandum eſt. *Idem*.

Ut Deum inveniamus in ſolitudinem nos necet recipere debemus.

Narrat S. Eucherius, cum neſcio quis ex pio amico quæſiviſſet, ubinam Deus poterat inveniri, ab hoc illum in vaſtam deductum ſolitudinem audiviſſe: hic Deus invenitur. *Et oſtendens ſolitudinis vaſtæ receſſum: En, inquit, ubi Deus eſt...* Et ſane quantumvis bona tibi ſit intentio, & quemcumque zelum habeas, nequis in mundo vivere ſine mentis evagatione, & Deus in tumultu, ac turba non invenitur: *Non in commotione minus*. 3. Reg. 19. Stella, quæ Magos per deſerta deduxit, in aula Herodis evanuit. In ſolitudine purior reſpiratur aer, cœlum invenitur apertius, & major apud Deum patet acceſſus, quidam Pater ait: *Aer purior, cœlum apertius, familiarior Deus*. Relinque conſanguineos, & amicos: relinque patriam, paternamque domum, ad ſublimem hanc perfectionem, ad quam adeo pauci adnituntur, contende: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtrabo tibi*. Veni in ſolitudinem, ibi vocem Domini audies, *hæc vox*, S. Bernardus inquit, *non auditur in foro, non ſonat in publico*. Ita ne erres, ſi Deum invenire vis, egredere ex mundo; deſertum locus eſt, in quo ille habitat: *Eremus Dei templum eſt*, ait S. Eucherius. Ubi enim præterquam in ſolitudine permanebit ille, qui ſilentium ſibi elegit in habitaculum? *Quem enim certum eſt habitare in ſilentio, credendum eſt gaudere ſecreto*. Ubinam Spiritus ſanctus loquetur, ubinam vox, & afflatus illius majorem habebunt vim, quam in loco, quem ſecretorum ſuorum vult eſſe ſequeſtrem? *Eremus digna Spiritui ſancto habitatio; ipſe enim & ſecretum quærit, & ſolitarium locum diligit*. *Idem*.

Subſidia, quæ ad ſalutem operandam in ſolitudine inveniuntur.

Tanta eſt ſolitudinis felicitas. Ex S. omnium ſententia in hoc aſylo nos non perſequitur hoſtis; vanitatum nebula, ut in mundo, non aufert nobis amplius cœleſtium bonorum adſpectum: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona*. Sap. 4. In deſerto dumtaxat pœnitentia ſuum regnum conſtituit: *Vox clamantis in deſerto, pœnitentiam agite*. Matth. 3. Homines illam ex ſocietate ſua ejecerunt; illa in deſerta conceſſit, ubi paucis auditoribus prædicat. Eſto ex hoc numero, relinque cœtus, & urbes, & rumore, ac tumultu deterritus pacem, & ſilentium inquire. Enixus ora Deum, ut facilem tibi aperiat viam, vel ſi illic jam es, gratiam hanc excole quam diligentiſſime. *Idem*.

Cum Deum amamus, ſolitudinem quærimus.

Cor Dei flagrans amore negligit mundi turbam, quæ urbes frequentat. Videt in ſæcularium cœtibus, & ſodalitatibus de temporalibus tantum negotiis verba fieri, de jurgiis, & litibus, de vanitatibus, profaniſque oblectamentis, de rumoribus ſæpe fictis, & dolorem afferentibus, ac ſemper vanis; Sal evangelicum pedibus conculcari, impietatem, & oblivionem Dei, æternarumque veritatum ibi regnare; illic latam viam ab omnibus ferme calcari, neminem de ſalute ſua eſſe ſollicitum: atque ſtupore perculſus ob tantam hanc cæcitatem, & depravationem ex mundi turba recedit, deſiderio flagrat in ſolitudine aerem puriorem reſpirandi, atque in arcta incedendi via, ubi illi non incommodet multitudo; ibique invenit mentis requiem, & tranquillitatem, quam alibi guſtare non poteſt. *Idem*.

In ſolitudine pro nobis laborantes noſmet proximo utiliores efficimus.

In ſolitudinem concedentes proximo eritis utiliores: cum eccleſiaſticis loquor. Voſmet aptiores præbebitis, qui animarum ſaluti cooperimini, quam inceſſanter cum mundo converſantes, cui ſcandalum afferet vita veſtra ſuæ nimium conformis. Solitudo veſtra proximum etiam ædificabit, qui bonum hoc exemplum mirabitur. Deinde vos majori habebit in pretio, vos reverebitur, ac ex ſalutaribus monitis veſtris fructum percipiet; plurimi vos imitabuntur, & cuicumque probabitur illud Scripturarum oraculum, eum, qui ſibi utilis non eſt, aliis utilem eſſe non poſſe. Apoſtolici viri, egregie S. Chryſoſtomus inquit, mundo fatigati, & exagitati, ſæpe in deſerta confugiunt, & in ſolitudinibus deliteſcunt, ſed poſtquam ſpiritum, animumque receperunt, de receſſibus ſuis tamquam generoſi emergunt leones certi propoſiti ſui, & nulla pericula detrectantes, ut alienæ ſaluti proſpiciant. Magnis repleti veritatibus, quas in ſolitudine meditati ſunt, & divini capitis ſui ſpiritu animati, atque excitati idea ſanctitatis, quam illis exigit Deus, cœleſti, qua nutriuntur, manna roborantur, ipſi diabolo terribiles. *Idem*.

Sine bona ſolitudine vix bona fieri poteſt converſio.

Secundum conſuetam Dei providentiam poterit ille quidem peccatorem bonis aliquot motibus prævenire, eum vel in ipſa negotiorum turba, vel in ipſis voluptatibus immerſum apprehendere, illum intus in corde clam redarguere, ejuſque cæcitatem explorare; peccator hic commovebitur, &, ſi vis, aperte etiam concutietur; ſed adhuc longe ab integra diſtat converſione. Antequam ad felicem hunc terminum perveniat peccator, plurimas efficere debet conſiderationes, examina, preces, ut Deus opus illius cumulet longa gratiarum, earumque non ita communium ſerie, numeroque; quod in mundo non fiet, donec ille in ſuis ſolatiis, oblectamentis, negotiiſque verſabitur. Deus palam hoc edixit, cum dixit ſe nonniſi in ſolitudine efficaciter loqui ad cor, eodemque potiri: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. Oſeæ 2. Quomodo enim cœleſtia hæc lumina, & gratiæ effectus ſuos producere poſſunt extra ſilentium, ac ſolitudinem? Quomodo his luminibus, & gratiis inter mundi tumultum animus adverti poteſt? vel quomodo inter convivia, & oblectamenta ſequi poſſumus hos ſenſus doloris, & contritionis?..... Ut hoc vobis perſuadeam, mihi ſatis eſt experientia, quæ æque conſtans eſt, & certiſſima, ac communis. Conſiderate quæſo, quam communis hodierna die ſit in chriſtiana religione prædicatio. Concionatores nuſquam majorem zelum præ ſe tulerunt, neque templa majori auditorum frequentia fuerunt repleta; & nihilominus ubinam ſunt fructus, qui ex miniſterio adeo ſancto procedunt? Si concionator digne ſuo perfungetur munere, ſtatim in arena bonos aliquot motus in anima mundana ciebit; ſed quinam eſt horum motuum exitus? num perfecta converſio, vel ſaltem aliqua vitæ reformatio? Haud ita quidem; vel ſaltem hoc accidit raro; cujus rei hæc vera cauſa eſt: gratia, quæ Dei verbum comitatur, ſemen eſt converſionis, atque virtutis; eam recipit peccator, illius vim ſentit, verum eſt: ſed illi tempus non permittit fingendi radices, quia ſtatim ad profana redit colloquia, ſeſe rurſus primis ſocietatibus implicat, conſuetis ſolatiis, & negotiis ſe iterum abdit. Ita omnes boni motus, quos concio, & concionator in illius anima excitaverant, quin aliquem gignant effectum, evaneſcunt. Hoc ipſum dicendum eſt de gratiis, quas elargitur Deus illis, qui vel oblectamentis, vel negotiis mundi hujus impediti ſunt; eæ quippe propter conſiderationis, meditationis, ſolitudinis defectum inutiles fiunt. Ita de homine, qui ſerio ſeſe Deo tradere cogitat, dici poteſt, quod olim Deus Sancto Patriarchæ

Abra-

Abraham: *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, &c.* Si ſaluti tuæ ſerio proſpicere cupis, & ex via perditionis in tutam cœli viam migrare, ad aliquod temporis ſpatium a mundi commercio recede, in ſolitarium aliquem locum te recipe, ut ea invenias ſubſidia, quæ ad hoc præſtandum ſunt neceſſaria. *P. Gegou in libro cui titulus: Uſus Sacramenti pœnitentiæ, capite quinto*.

Sine ſolitudine vacare nõ poſſumus exercitiis pietatis, & pœnitentiæ.

Ex hactenus dictis facile judicari poteſt omnino neceſſarium eſſe, ut animæ mundanæ, quæ efficaciter converſioni ſuæ operam navare volunt, ſaltem ad tempus recedant a ſæculi curis, atque negotiis, alioquin numquam evaſuræ e via perditionis, in qua mundus eas tenet implicitas. Si enim verum eſt ad magnum hoc opus, vacandum eſſe exercitiis pietatis, pœnitentiæ, & mortificationis, quomodonam hoc extra ſolitudinis ſilentium, atque ſecretum fieri poteſt? Quomodo inter terribilem mundi perturbationem, atque tumultum, & inter ſæcularium curarum ſollicitudinem preces poſſunt effundi? Homo vix ſe ipſum in tanta rerum confuſione poteſt intelligere; quomodo autem ſe orationi vacaturum ſperabit, quin a mundi commercio recedat; quomodo ingemiſcere, ac ſuſpiria emittere poterit in eorum ſocietate, qui ridere tantum geſtiunt, & oblectari? Hoc ipſum dico de jejunio, aliiſque pœnitentiæ exercitiis; quomodo enim jejunare, ac te mortificare poteris inter eos, quin inter compotationes, & comeſſationes laſciviunt? Ad hæc, ſi meditationes, & lectiones omnino ſunt neceſſariæ ad contritionis ſpiritum fovendum, nonne liquet, ſolitudinem aptiſſimam eſſe, ut ibi pacata mens, & tranquilla habeatur; quandoquidem hic unicus eſt portus, ubi in tuto eſſe poſſimus contra rumorem, ſæculique procellas? *Idem*.

Si mortales omnes ſancti eſſent, eorumque ſermones, & exempla ad virtutem tantummodo nos excitarent, ex eorum familiaritate nonniſi magna ad converſionem efficiendam, & acquirenda ſanctitatem percipere poſſemus auxilia; ſed cum tanta ſit in mundo corruptio, ut non ſit, qui faciat bonum, non ſit uſque ad unum, ut loquitur Propheta; nonne inferendum eſt, ad hoc ut vacemus Deo, & exercitiis pietatis, ſolitudinem eſſe inquirendam? Hic Dei ope illi, quos tetigit gratia, & quos juſtos facere aggreditur, poſſunt ſine obice revocare in memoriam annos calamitoſos, qui ſunt vitæ ipſorum confuſio, & juſta mortis formido. Hic pace, ac tranquillitate, mundi longinquitate, & negotiorum intermiſſione opem ferentibus omnibus interioribus æque, ac exterioribus pœnitentiæ exercitiis, ſe ipſos colligere poſſunt, ut cognoſcant ſtatum animarum ſuarum, naturam, ac vim cupiditatum, peccatorum enormitatem, & pravorum habituum nequitiam. Hic libere flere poſſunt, & in ejulatus erumpere, oculos ſuos, manuſque in cœlum attollere Domini miſericordiam imploraturi. Hinc qui timeant, ne ab aliis audiantur, aut videantur, ſeſe proſternere poſſunt, omniaque doloris, & contritionis ſuæ edere ſigna. Hic tandem poſſunt jejunare, ſeſe mortificare, & omnia pœnitentiæ opera exercere, ut in ſe ipſis puniant injuriam, quam intulerunt Deo, & hoc pacto Dei mulceant iracundiam. *Idem*.

Solitudo, & fuga mundi ad gratiam ſervandã eſt neceſſaria.

Mundi commercium magnus eſt gratiæ ſcopulis; & nihilominus tantum abeſt, quod mundum fugiamus, ut non ſolum mundum, ſed etiam ipſam mundi lucem inquiramus, ubi melius eſt periculum pereundi. Mirum ne igitur eſſe debet, ſi adeo pauci illam tueantur? Quomodo enim inter mundi corruptionem hæc gratia ſervari poteſt? Quid hodie in mundo videtur, quod non videatur de induſtria factum ad gratiam deſtruendam? Num ſervatur gratia in iis converſationibus, ubi charitas tot rationibus vulneratur? Servaturne in occultis artibus, & dolis, ubi ambitioni juſtitia litatur? Servaturne inter vana illis placendi deſideria, quibus citra noxam placere non poſſe intelligimus? Servaturne in ſpectaculis de induſtria præparatis ad cupiditates contra rationem, virtutemque confirmandas? Hæccine gratiam ſervandi ratio eſt, ſemper in peccati occaſione verſari? *Pater Aurelianenſis ſermone de ſancta Virgine*.

Bone Deus! quam fallax hoc tempore habetur idea ejus rei, quæ ſolitudo, & mundi abnegatio vocatur? Fidelis convertine vult, & ne ſalutem ſuam in diſcrimen adducat, ab impiorum conſortio ſecedere meditatur? Reſpicit quamdam ex iis domibus, ubi ars adinventa eſt ſemovendi, quidquid in mundo impedimenti, atque tumultus eſt, & retinendi, quidquid ibidem eſt utile, & commodum; fugiendi hominum lucem quibuſdam temporibus, aliis vero ad eos redeundi, & cum illis converſandi; ſocietatis voluptate perfruendi, utendo familiariter quibuſdam amicis, quorum conſortium facile eſt, & ſuave, & gloriandi, quaſi ſolitudinis meritum fueris conſecutus; ſibi vitæ ſyſtema proponendi, in quo reſervatur, quidquid placet, & in deliciis habetur. Hæc non eſt pœnitentiæ ſolitudo; hæc fuga eſt, ac tædium tumultus, & mundi; neque mirum eſſe debet, ſi plures, integrique hujuſmodi ſolitudinis anni minime ſanctiores, & meliores efficiant. *Auctor Anonymus*.

Deus ad ſolitudinem vocavit eos, quos ad ſublimen attollere vult ſanctitatem.

Cum vult Deus animam ad ſublimem perducere ſanctitatem, illi tribuit gratiam ſeparationis eo perfectioris, quo ſublimior eſt ſtatus, ad quem illam vocat. Chriſtianis vulgo in mundo vivere permittit, dummodo corde, & affectu ab illo diviſi ſint, ſufficitque eos a corrupta peccatorum maſſa ſeparare; ſed electas animas, & ad primum virtutis ordinem deſtinatas ducit in ſolitudinem locuturus ad cor earum, quin eas creaturarum commercium interpellet. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. Oſeæ 2. Zelotes hic Deus, qui illas plene, & ſine ulla diviſione poſſidere vult, non ſinit, ſenſus earum ſæculi imaginibus perculſos in mentibus illarum inevitabiles impreſſiones efficere, quæ nobis etiam invitis auferant Deo partem ſpiritus, & cogitationum noſtrarum. Has mundo rapit, ne hujus nequitia cor illarum corrumpat, & ne vel minimus contagioli, & venenati aeris afflatus earum lædat puritatem, atque innocentiam. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Sapient. 4. *Abbas du Jarry, Panegyrico S. Antonii*.

Sanctæ occupationes animæ ſolitariæ.

Illic anima perficitur in omnibus virtutibus, quæ ſolitarii animam ornare poſſunt; modo ex rebus viſibilibus totidem veluti ſibi gradus facit, ut ad inviſibilium cognitionem, amoremque ſe attollat; modo cum Propheta omnes Creaturas ad Deum laudandum eique benedicendum invitat, vel potius ſuam vocem rationemque commodans omnibus rebus ſenſus carentibus tot variis modis eum celebrat, quot perfectiones illius diverſimode pictas in locupleti hac univerſorum varietate intuetur; modo aſſueſacit corpus ſuum mortificatione, ut alacriter Domini jugum ferat, & ſine reſiſtentia gratiæ motus, & elevationis ſpiritu ſequatur .... Illic ſolitarii mens non minus abeſt a ſæculo, quam corpus; & ille magis avulſus, quam remotus a creaturis contemnit, quidquid magnificentiæ, & illecebrarum in mundo eſt; nam aliquando mundus hic ſeſe offert ſub forma, quæ magis periculoſa eſt illis, qui ab eo receſſerunt, quam qui in eo commorantur. Nobis decipiendis aptior eſt, cum ſeſe noſtris exhibet oculis in quodam intervallo, quod celans dolores, tædia, & amaritudines, quas mortales in illius commercio experiuntur, flores tantum oſtentat, quorum ſpinæ non amplius ſentiuntur. At ſolitarius, qui mundum fuga ſuperavit, facile triumphat etiam de dæmone in tentatione ſibi illius ideas, & phantaſmata ſuggerente. *Idem*.

Illic pœnitens ſolitarius ſatis minime ratus noxiis voluptatibus nuncium miſiſſe, quibus mundus ſua alligat mancipia, ipſas etiam, quæ culpa vacant, ſibi interdicit. Illic tamquam vas Sanctuarii, quod quantumvis pretioſum permanet in perfecta mundi & ſui ipſius oblivione, alienis relinquit manibus, quas divina ſuppeditat Providentia, alimoniam hujus corporis mortui, cujus Deo hoſtiam offert viventem. Illic quidquid Deus non eſt, videtur indignum, quod ipſius oculos, & cogitationes moretur, & immortalis pulchritudinis ſuæ imago in corde ejus inſculpta cum pulcherrimis gratiæ lineamentis eum ita replet, ut non habeat ultra oculos ad conſiderandas imagines in omnibus naturæ mirabilibus ſatas. *Idem*.

Mentis evagatio evitari nequit niſi in ſolitudinem concedas.

Quomodonam temporalibus vacare licet negotiis; & quotidie mundi commercio intereſſe, quin mens evagetur, & cor corrumpatur? Quomodo inceſſanter reſiſtere contra magnam hanc objectorum vim, quæ catervatim ſeſe offerunt, quæ nos undique obſident, & quæ jugiter vim faciunt, ut per ſenſus in animam noſtram ingrediantur? Quomodo non perſtringi poſſumus, ubi cominus intuemur opum fulgorem, honorum faſtum, illecebras, & magnificentiam figuræ hujus mundi, qui indeſinenter ob oculos noſtros nitet, ſuis promiſſionibus allicit, ſuis detinet illecebris, ac ſexcentis jucundis phantaſmatis faſcinat? Quomodo exempli, & conſuetudinis torrente non trahi? Semper obniti contra mundi placita, & mores, qui ſecretis cordium ſtudiis blandiuntur? Semper ſenſibilibus adhærere bonis, eaque ſine ulla exceptione futuris ſacrificare voluptatibus, quas no-

vitam ducendi, erudiri. Hæc omnia nonniſi per meditationem, lectionem, & auxilium alicujus ducis in hac cœli ſcientia conſultiſſimi fieri poſſunt; ſed omnes hæ meditationes, lectiones, admonitiones non unius diei opus ſunt. Oculi corporis momento ferme uno penetrant, quidquid in aliquo objecto deprehendere valent, dummodo juſte applicetur; at hoc non accidit intellectui, qui eſt oculus animæ; ſtomachum imitatur, qui actionem, ac tempus poſtulat ad eſcam digerendam, alioquin numquam bene corpus nutrietur. Quod ſi hæc omnia pietatis exercitia plurimam poſtulant ſpiritus libertatem, & applicationem, conſtat poſtulare quoque otium, patientiam, & tempus, ut aliquam in ſpiritu afficiant impreſſionem. *Pater Gegou in libro ſuperius memorato.*

Chriſtianæ ſolitudinis deſcriptio.

Hæc ſolitudo Chriſtianorum eſt propria, qui fidei luminibus illuſtrati, ac ſupremæ ſapientiæ ſpiritu ducti, illic innocentiæ ſuæ quærunt perfugium, ſi ita felices extiterunt, ut eam adhuc tueantur; vel ſi ita fuere infelices, ut ejuſdem paſſi fuerint jacturam, ſeſe recipiunt tamquam in aptiſſimum locum, ubi ſine ullo obice vitæ ſuæ inſtaurandæ vacare poſſint. Illic Chriſtianus, qui gratiæ ope ſanctum concepit faſtidium morum, negotiorum, opinionum, & vanitatum mundi, ſe ipſum intuetur tamquam Noe in arca, vel ſimilem Loth, quem Angelus Domini de infami Sodomorum urbe ſubtraxit. Illic tamquam puriori in aere videt funeſtos laqueos, quibus mundus repletus eſt. Illic cum Sapiente cap. 14. intelligit, *quod reipſa creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Illic conſiderans infelices has, & quaſi inevitabiles pereundi occaſiones, ex quibus divina ipſum eruit miſericordia, ſui impotens gaudii concinit: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Pſalm. 123. In ſolitudine, anima ſancta cum inexplicabili voluptate guſtans quietis, & ſilentii ſuavitatem, facere nequit, quominus obſtupeſcat videns, ſe haſtenus ſtrepitum, atque tumultum tantopere adamaſſe. Illic contemplatione divinæ bonitatis, & gratiæ illecta eſt, quas non antea, niſi per umbras, & ſub integumentis perſpexerat. Illic illuſtrata, & quodammodo divinitatis ſplendoribus penetrata fateri cogitur, lumina, quibus quodammodo alias ſe perſtringi paſſa eſt; nubes tantum, tenebraſque fuiſſe, vel ad ſummum fucata quædam, & perfunctoria lumina. Illic vivificata, ſacroque Spiritus ſancti igne ſuccenſa, ambigit, utrum vita, quam vixit, vera vocanda ſit vita, & utrum debiles motus, quos nonnumquam experta eſt ſeſe ad ſuum auctorem convertens, haberi poſſint divini amoris ſigna, & effectus. Illic in ſancto, aſſiduoque raptu Dei admiratur majeſtatem, per otium profunditatem judiciorum ejus, & miſericordiarum magnitudinem adorat, cum ſtupore operum ejus præſtantiam meditatur, cum voluptate ſpiritus illius delicias delibat; penetrat eo modo, quem ne ipſa quidem intelligere poteſt, myſteriorum ejus nubes, & obſcuritates, & cum admirabili lumine illius ſecreta, atque conſilia detegit. Illic tandem rerum omnium & ſenſum, & memoriam amittens Deo uni vacat, atque in felici verſatur impoſſibilitate non aliud amandi, quam Deum. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii presbyteri.*

Deus peculiari modo nutrit in ſolitudine eos, quos vocat.

Dicere poſſumus, quemadmodum olim Deus eos aluit, quos in ſolitudinem adduxerat, ita hodie etiam alere eos, quos illuc vocat; ſed cum Iſraelitas quadraginta dumtaxat annos aluerit, in mundi uſque finem nutriet hos novæ legis ſolitarios. Ne formident igitur hanc ſolitudinem conſuetudini præferre; redimant hoc inæſtimabile bonum voluptatum omnium jactura, quibus perfrui poſſent in commercio, & ſocietate illorum, qui ſibi erant chariſſimi. Solitudo hæc in ſæculo locum teneat illis, quibus animus eſt pro illa nativitatis ſuæ ſedem relinquendi: nullus timor, nullum gaudium, nulla triſtitia eos inde valeat amovere; meretur illa quidem in corde eorum vicem gerere omnium affectuum; quibus occupabantur, in illa invenire debent, quidquid propter illam fortiter, & conſtanter reliquerunt. *Auctor Anonymus.*

Nemo vere niſi ſerio ſecedat, convertitur.

Quemadmodum Dei filius reſuſcitare volens filiam Archiſynagogi, e cubiculo ejecit tibicines, omnemque turbam; ita, S. Gregorius inquit, niſi ad tempus relinqueris curas, & ſæcularium negotiorum cogitationes, niſi a ſæculi ſocietatibus, & ſolatiis receſſeris, numquam anima tua, quæ per peccatum mortua eſt, reviviſcet. Liquet etiam, quid idem fecerit Salvator ſurdum curaturus: *Apprehendens eum de turba ſeorſum.* Marc. 7. Manu arripuit illum, eduxit ex turba, ibique illi reddidit auditum. En quo te Dominus vocat, *ſeorſum*, in ſolitudinem; hic te vult curare, & quid Prophetam agam, pro certo affirmare poſſum, te non alibi curatum iri. Imitandus eſt S. Petrus, qui ut ſuum elueret ſcelus, atque pœnitentiam agere inciperet, e cœtu ſeceſſit, & ex atrio, quod ipſi fuerat adeo funeſtum: *Et egreſſus foras flevit amare.* Matth. 26. Terribilis hæc ſalutis ſuæ negligentia, in qua hominum plerique verſantur, oritur ex mundi commercio, & violento affectu, quo ſolatia, & oblectamenta depereunt. Opus eſt ergo, illos ab hoc commercio recedere, ſibi has interdicere voluptates, & ad aliquot dies in ſolitudinem ſe recipere. Primum autem ſolitudinis hujus officium eſt, ſibi perſuadere de brevitate, & vanitate rerum humanarum, de veritate, & magnitudine bonorum, malorumque æternorum, quam ſapientiam cum vulgo Deus non communicet niſi precibus, & lectioni, nemo ſatis utrique vacare poteſt. *Auctor Anonymus.*

Cum Deus tangere vult cor alicujus, educit illum e mundo.

Cum Deus aliquem vult convertere, eum ſeparat ab objecto voluptatum ejus, eique ſolitudinem, & ſeparationem a rebus creatis procurat. Credimus aliquando eum, qui ab aula recedit, qui de honoris gradu dejicitur, qui domum remittitur, miſerum eſſe, & hoc infortunium vocamus; ſed ſæpe inſignis eſt Dei favor, qui ab illo amovet mundum, ut illum convertat, atque reſuſcitet; non ille a mundo, ſed ab illo divellitur mundus. Deus non invenitur in tumultu, in negotiis, in curarum impedimentis; in ſolitudinem ſecedendum nobis eſt, ut vocem illius intelligamus. *Specimen Ethicum tomo quinto.*

Solitudo neceſſaria ad divina inſtituta cognoſcenda.

Ut divina inſtituta rite cognoſcantur, ſanumque feratur judicium de pretio, in quo ſunt habenda, attentius, propiuſque non ſine gratiæ ſubſidio, fideique luminibus ſunt conſideranda. Auferenda eſt perſona objectis, quibus fallimur, atque ſeducimur, & videndum, quid reapſe ſint; ad quod ſatis non eſt obiter, leviterque animum advertere, ac dicere, nullam nobis eſſe in iis, quæ ad fidem pertinent, dubitationem; plerique enim Chriſtiani hoc ipſum loquuntur, & ſentiunt. Sed horum inſtitutorum veritas ponderanda eſt; ſcrutanda ſunt hæc objecta, ut liqueat, quid promittant, & quid præſtare queant; alioquin quidquid agas, intellectus tuus ſemper in ignorantia, & errore, & voluntas tua in iiſdem criminibus verſabitur. Hæc igitur per otium meditanda ſunt; quamobrem ſolitudo eſt omnino neceſſaria. *P. Gegou in tractatu de ſolitudinis neceſſitate ſeorſim edito.*

Sancti omnes ſolitudinem quæſivere.

Quænam poterat eſſe mens Sanctorum animo reputantium curam, qua Dei filius ſolitudinem, latebraſque per intervalla quæſivit, & pretium, in quo ſanctam hanc ſe habere praxim ſemper teſtatus eſt? Hoc proculdubio excitavit vota eorum, qui a mundo recedere ſemper optaverunt; hoc fuit principium ſancti illius ardoris, quo ſolitudinem concupiſcebant. Quouſque hic ardor proceſſit? Non aliter rectius judicare licet, quam eorum amoris, ac teneritudinis refertiſſima verba conſiderando. Utinam, ſanctus Gregorius Nazianzenus exclamat, utinam columbæ ſimilis fiam, ut, quemadmodum illa, in ſolitudine vivens, ſemper tutus eſſe valeam a periculis, quæ a vita hac mortali ſeparari non poſſunt. Utinam liceret mihi, ſolum vivere, abditoque incluſum loco: mihique integrum eſſet ibi reliquum vitæ meæ ſpatium traducere non alia, quam brutorum, conſuetudine utentem! Vin' magis ardentia vota, quam quæ ſanctus hic Præſul nuncupavit? Exprimit ille ſecretiſſimas cogitationes ſuas, ac tenerrimos cordis ſui motus. Omnes in ſolitudinem feruntur, quam tantopere deſiderat, non aliquot vitæ annos, ſed vitam totam illic tranſigere cupiens. Brutorum familiaritas hominum conſuetudini illi præferenda videtur; altera enim innocentiam inſpirat, altera ſexcentis eſt obnoxia periculis. *Lambert in ſermonibus eccleſiaſticis, ſermone de ſolitudine.*

Solitudo ſæpe per divinarum rerum tædium relinquitur.

Receſſus, interior ſui ipſius collectio, ſolitudo horrida manſio eſt Deum, divinaque faſtidienti. Quærunt homines ea reparare tædia, quæ in oratione reperiunt, ſeſe in viſitationes, parum religioſa colloquia, ſexcentaque evagationum genera effundunt, neque advertunt, mundi commercium animæ vires infirmare, eique gravius efficere jugum. Externæ imagines, quas extrinſecus recipit, il-

lam

lam perturbant, turbæ tædium, tædioque faſtidium ſuccedit. Salutis inimicus callide hac utitur animi affectione, quæ ipſi perutilis accidit; neque ſemper ſibi cavet anima a dolis, & inſidiis hoſtis adeo verſuti. Credit talentum ſuum humi fodere, qui ſuum non oſtentat ingenium; putat ſe non exiguam adipiſci gloriam, dum in mundi luce verſatur; ac fallitur. Virtus in frequentibus hiſce converſationibus cum ſæcularibus parum conſideratur; raro non aliquod nobis elabitur vitium, quod unum conſideratur ab illis; ita pauci religioſi diu integram ſervant famam, & veram æſtimationem apud eos, qui mundum ſequuntur. Quicumque ſui obliviſcitur characteris, vel ſtatus, contemptibilis eſt; ſilentium, circumſpectio, receſſus quam bene religioſum decent! quantam illi conciliant exiſtimationem! Religioſus mundo mortuus eſt; frequentes illius exitus in mundi lucem ſemper ſunt importuni: & niſi miraculoſi fuerint, hoc eſt niſi Deus ſit eorum principium, & perfecta charitas, & purus, integerque zelus eorum ſint cauſa, major ſemper, quam temporis, jactura ſubitur. *P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Elogium ſilentii, quod ſolitudini comes eſſe debet.

Teſtatur Sanctus Iſidorus, ſilentium certiſſimum eſſe ſignum præſentiæ Dei in anima, & & ſacræ plenitudinis cordis; ſilentium cupiditatum malaciam & gignere, & connotare; ſilentium præſervare a cæcitate ſpiritus, & a cordis evagatione liberare, ſilentium eſſe fidelem animæ cuſtodem, ſacrum pacis miniſtrum, fœcundam virtutum originem, magnum orationis magiſtrum, nobiliſſimum pœnitentiæ fructum, ac florem ſolitudinis pretioſiſſimum. Et Sanctus Chryſoſtomus addit, ad hoc ſilentii elogium numeris omnibus abſolvendum, linguam eſſe Angelorum, cœli eloquentiam, & artem perſuadendi Deum. Dicendum profecto eſt, tantum hoc bonum ab hominibus ignorari; fieri quippe non poſſet, ut ſi illud cognoſcerent, adeo & contemnerent, & perhorreſcerent. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Cauſæ mœroris, quem gignit ſilentiũ, & remedium, quod hoc ipſũ adfert ſilentium.

Quantumvis parum conſiderentur mœrores, atque moleſtiæ, quæ ex pleriſque converſationibus referuntur, quamprimum liquebit, quam periculoſum ſit loqui, & quam utile tacere. Quod pertinet ad eos, qui ſilentium pati nequeunt propter triſtitiam, in quam decidunt neceſſario, & quod nondum aſſueti ſunt ſeſe, uti oportet, colligere, validis rationibus adnitendum eſt, ut hoc ineam conſilium tædii illius perferendi, quod hæc ſui ipſius collectio producit. Tunc enim anima in ſe quodammodo reverſa per otium ſe ipſam videt, atque conſiderat, ac in ſe ipſa magnum inveniens inane, quod eam terret, nullo modo ſe ipſam ferre poteſt. Cæterum ſenſus, quem ſuæ infelicitatis intuitus in illa ciet, adeo acer eſt, & cum tanto dolore conjunctus, ut nihil tantopere quærat, quam egredi ocyus ex hoc deſerto terribili ad quærenda objecta, quorum adſpectus ſolatium adferat, & inviſendos homines, quorum colloquiis reficiatur, hoc pacto conditionis ſuæ memoriam, & ſenſum deletura. Verum ſi pauliſper patiens expectaret, videret mœrorem, quem illi hæc ſui ipſius adfert collectio, evaneſcere, & quam primum diſſipari; tunc enim agnoſcens miſeriam ſuam ſecreto inſtinctu ſe agi ſentit ad quærendum extra creata omnia aliquod ſuis malis remedium. *Idem.*

Silentiũ ampliſſimus eſt Deum laudãdi modus.

Ex regio Pſalte Pſalm. 64. juxta verſionem S. Hieronymi, qui merito ſolitarius Doctor vocari poteſt, diſcimus, ſilentium domus Dei decus eſſe, & ornamentum: *Tibi ſilentium laus in Sion.* Et profecto ſilentium adeo eximia eſt Deum laudandi, & invocandi ratio, ut Angeli, & Beati in cœlo non aliter eum celebrent, eique benedicat: *Cœli enarrant gloriam Dei*, regius loquitur Propheta Pſalm. 18. *Et opera manuum ejus nunciat firmamentum*; ſine ullo ſtrepitu, & clamore. Quod Pico Mirandulano locum præbuit animadvertendi, creaturas, quæ majora edunt opera, ac ſublimiores efficiunt operationes, minus ſentiri; & ratio eſt, addit ille, quia ſilentium præſtantiſſimus eſt modus laudes Dei celebrandi; & quia adoratio ſecreta digniſſima eſt Dei majeſtate. *Idem.*

Defectus vel violatio ſilentii cauſa eſt relaxationis in domibus religioſis.

Nullus dubito, quominus contemptus, & violatio adeo prudentis, ſalubriſque inſtituti, quale eſt ſilentii obſervantia, olim confuſionem, ac perturbationem in vetuſtiſſimos, celeberrimoſque regularium ordines injecerit, hodieque etiam efficiat, ut tot congregationes alioquin adeo nobiles, atque illuſtres de ſua decidant dignitate. Ratio eſt, quia nulla ſocietas eſt, quantumvis optime inſtituta, ubi non aliquis occurrat ſpiritus ab aliis abnormis. Quis autem arbitrari poteſt hujus farinæ hominem non interpretari aliter quam opus eſt, omnia, & ſæpe non ferre temeraria, & iniqua judicia de domus regimine? Sin autem huic integrum ſit ſenſus ſuos communicare alteri cuipiam ex eadem ſocietate, accidet fortaſſe huic non ſatis eſſe virtutis, ut hæc improbet judicia, vel non ſatis eſſe conſtantiæ, ut illis obſiſtat, vel non ſatis luminis, ut juſtitiam, improbitatem deprehendat; & nullus dubitandi locus eſt, quominus hæc cogitationum communicatio eam inter ipſos neceſſitudinem, & commercium conjungat, cujus effectus deinceps nonniſi funeſtiſſimi, atque perniciosiſſimi futuri ſint. Hoc enim pacto ſeſe viciſſim corrumpunt, eorumque in dies percrebreſcente corruptione religioſa domus brevi tota fere laxabitur, quin tanti mali vel origo, vel progreſſus innotuerit. *Idem.*

Inter mundi rumores Deo, uti opus eſt ſervire non poſſumus:

In hac infelici, & quodammodo inevitabili neceſſitate, quam vanitas communis imponit tibi tuendi modo prorſus pagano gradum, in quo genus, & dignitas tua te conſtituunt, licet ne tibi vitam componere ſecundum ſublimem hanc ideam, quam de chriſtiana religione te habere teſtaris? Fierine poteſt te ſervire Deo, quantum eidem ſerviendum eſſe exiſtimas, donec cor, & mens tua diviſa erunt eo modo, quo ſcis, diverſis occupationibus, & aſſiduo commercio, cui tua te dignitas alligat? Cum vitæ tuæ rationem conſideras, & ſcire conaris, quonam agas inſtinctu, poteſtne conſcientia tua tibi perhibere teſtimonium, te ex eorum eſſe numero, qui Dei tantum ſpiritu aguntur, donec vives, vel ut melius dicam, mundo quodammodo abditus eris? Poteſne ſerio cogitare horrores mortis, tibi quam primum ſubeundæ, vivens ut facis, cum iis, qui vitæ hujus deliciis tantummodo vacant? Poteſne temet ſollicite præparare reddendæ rationi, quam intra breve temporis ſpatium ſupremo Judici redditurus erit, ac penetratum eſſe ſalutari hoc metu, in quo vivere debemus diei hujus adventus præſtolantes, quo detegendum eſt noſtræ ſeu prædeſtinationis, ſeu reprobationis myſterium, & quo initium ducendum eſt ſeu beatæ, ſeu miſeræ æternitatis; cum id unum agas, ut rationem hanc augeas, & muneris hujus tui officia te in jugem pertrahant mentis evagationem, vix tibi reliquum eſt momentum, ut ea cogites, quæ feliciſſimum hunc timorem excitant, & fovent. *Idem.*

Receſſus & ſolitudinis bona.

Illic ab hominum adſpectu ſemoti eorum judicio, ac cenſuræ obnoxii non ſumus; hic humanis reſpectibus vacui, qui ſæpe mirum in modum eos etiam, qui virtute ſunt præditi, captivant, perfundimur gaudio, ubi propter Deum nos tantum operari cognoſcimus. Illic filii lucis ab aliis tenebrarum ſejuncti horum contemptum, irriſiones, & perſecutiones ferre ceſſant. Illic tandem Dei ſpiritus regnat, & libertas verum imperium obtinet. Ut hac de re nobis perſuaſum ſit, id nos expertos fuiſſe decet; quippe difficile eſt eos, qui ſemper in mundo vixerunt, credere poſſe, ſolitudinem aliud eſſe, quam mœroris, ac triſtitiæ principium. *Idem.*

Vulgo ãte accepta opinio a ſolitudine nos deterret.

Quidquid legeram de hoc ſolitudinis argumento apud Sanctos Baſilium, Chryſoſtomum, Gregorium Nazianzenus, Hieronymum, Ambroſium, Eucherium, & Bernardum, qui mihi videntur præ aliis fuſius illud pertractaſſe, hæc pretioſa libertas, quæ acquiritur, hæc tranquilla quies, quæ percipitur, perfecta hæc annihilatio ad quam homo carnalis redigitur, ſublimis hæc dignitas, quam ſpiritualis homo conſequitur; hæc, inquam, omnia in mente mea tamquam anagogiæ myſticæ habeantur, & ſermo, quem humana mens intelligere non poteſt. Fatendum eſt, anteceptam opinionem plurimum poſſe; plerique hominum tamen eidem ita ſunt obnoxii, ut ſatis ſit, aliquam primum mente opinionem imbibiſſe, ut nolint ultra veritatem agnoſcere, & errore ſuo liberari. Idea vulgatior, & ſenſus magis univerſalis, quem de ſolitudine homines concepere, eſt, eam horrentem, mœſtamque manſionem eſſe, triſtibus tantummodo propriam; & ridicula hac opinione ita præoccupati ſunt, ut quidquid dicatur ad errorem hunc illis auferendum, fieri tamen non poteſt, ut quicumque ille ſit, conſilium capiat ad aliquot dies eo ſeſe recipiendi experientia percepturus, utrum verum ſit, ibi adeo ſuaves delicias, & mirabilem requiem guſtari. Hinc illam horremus, neque nobis vulgo ſe offert, niſi ſub carceris alicujus, & exilii ſpecie. *Idem.*

Quam ſua vis eſt cõverſatio cum Deo in ſolitudine.

Deus non ſinit ſe videri in trivis, & plateis, vox

ejus

ejus non ſonat in foro, ſed in ſolitudine auditur, ubi fidelem animam alloquitur: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. In ſpecubus, montibuſque ſeſe communicat Abrahæ, Jacob, Moyſi, & Eliæ. Non loquitur plena in luce, neque inter tumultum: ſed in nubis caligine, & in quiete ſilentii. Immo JESUS CHRISTUS ſolus fugit in montem, & in penitiora deſerti ſe recipit, ibi noctes in oratione traducturus: *Et erat pernoctans in oratione*. Quis neſcit, contemplationem extrinſecus magnam exquirere tranquillitatem, intus pacem extremam, ſanctum animæ otium, perfectam omnium facultatum immunitatem ab iis omnibus, quæ mortalia, & creata ſunt, atque integram mentis, & cordis ſupremo Enti applicationem? Non miror itaque, ſi quadraginta illis diebus, quibus Moyſes in ſancti montis cacumine manſit, illic cum Deo converſatus, quemadmodum (*inquit Scriptura*) amicus cum amico, nullo ſollicitatus fuerit manducandi, bibendi, aut fratrem, familiam, populumque ſuum reviſendi deſiderio. Adſpectus, & colloquium cum Deo erant illi eſca, & potus; ſinus ejus ſacer erat thorus, ubi eſtatico quieſcebat ſopore & præſentia illius, qui eſt principium, centrum, ac terminus omnium, illi erat omnia. Quam beati illi ſunt, qui oculos, aures, & cor clauſum habentes objectis omnibus ſenſibilibus, dignos ſe præbuerunt, quibus Deus faciem ſuam aperiret, ſuam vocem oſtenderet, eoſque repleret amore hoc, qui alium quemlibet amorem expellit, extinguit, & deſtruit! Beati illi qui omni ſibi cum hominibus, & creaturis interdicto commercio, meriti ſunt ingredi in commmercium Dei, ac vivere ſoli cum ſolo Deo! Beati illi demum, qui rebus omnibus, ac ſemet ipſis expediti ſe in eum ſtatum adduxere, ubi nihil præter Deum poſſent diligere. *Idem*.

Liquet, ſolitudinem ſacrum eſſe locum, ubi divina ſe communicat Majeſtas, eamque, ut Divi Chyſoſtomi vocabulo utar, eſſe veluti Sanctuarii aditum, atque veſtibulum. Maxima eorum voluptas, quibus perfectæ ſolitudinis ſpiritus adeſt, eſt incumbere, ut Dominum adorent, eique preces effundant; hac mentem illius potentiam, & magnitudinem revereantur; coram ipſo ſeſe in perfecta ſubmiſſione, quæ ab annihilatione ſui non diſtet, contineant; ſe jugiter in ſtatum adducant experiendi gratiæ, & bonitatis ejus effecta, illius imperia, & voluntates faciendi, filialem obedientiam præſtandi, & ſervilem ſubjectionem teſtandi. Fateberis ſane, hæc omnia pro mundo ænigma eſſe impeditiſſimum, at non illis, qui ſeſe ſolitudini devoverunt. Felici experientia didicerunt, quibus vinculis illos ad ſe Pater trahat, qua virtute illos attollat, quibus catenis illos retineat. Agnoſcunt, quam ſuavis eſt ſpiritus ejus, quam amabile imperium, & quam glorioſa ſocietas. O Deus quanti facio felices hoc ſolitarios! *Idem*.

Solitudo eſt neceſſaria, ut medeatur malis, quæ gignit diſſipatio mentis in mundo inevitabilis.

Quæ mala non adfert mentis, & cordis diſſipatio in mundi commercio? Hæc nos arcet ab objectis fidei, efficitque, ut ſpiritus immergatur imaginibus objectorum ſenſibilium, & cor inde acres impreſſiones recipiat, plurimum horum objectorum circumſtantiis afficiatur, moleſtis eventibus doleat, intemperanter proſperis gaudeat; verbo, fluxis rebus repleatur ac parum iis moveatur quæ nobis fidei proponit... Porro cum anima in rerum mundanarum occurſu infirma ſit, potior via ad eam obtinendam mentis collectionem, quæ neceſſaria eſt, ut divino cultui adhæreamus, eſt ab omnibus rebus exterioribus, quæ ſunt inutiles, & partim etiam ab illis, quæ bonæ ſunt, niſi neceſſariæ fuerint, recedere. Opus eſt ad tempus noſmet cum hominibus rudes, & agreſtes præbere, ſine charitatis detrimento, ne ab illis moveamur, qui nos vellent diſtrahere. Deinde tutius extra egredimur, atque cum proximis ea ſuavitate, & humanitate verſamur, quæ eorum nobis corda conciliat; cumque ita interiorem adepti ſumus animi collectionem, non ita facile eſt extrinſecus perturbari. *P. Surin tom. I. dialogorum ſpiritualium*.

Sæculares indigent ſolitudine, ut ſaluti ſuæ conſulant.

Quoad ſæculares attinet, ab inutilibus viſitationibus, & occupationibus debent abſtinere, ut domi ſuæ permanere, & cum Deo converſari aſſueſcant. Solitudo illis neceſſaria eſt, ut ex hac exteriori turbi recedant, qua ſe duci ſinentes a ſummo bono recedunt, ab interiori parte, ubi illud habitat, diſcedentes. Non deſunt mortales, qui in omnimodam lapſi ſunt diſſipationem, hac illac diſcurrere, quærere ſocietates, ſpectacula, atque omne negotium ſuum in aſſidua oblectatione ſtatuere. Non ideo nobis vitam largitus eſt Deus, ſed ut eam in operibus ejus impenderemus. Qui illam abſumit inceſſanter oblectamentis indulgens, jam illius interiit ſpiritus. Non occupatur ille unico negotio, pro quo Deus illum creavit. Ut magnum hoc negotium proſpere cedat, te ipſum colligas opus eſt, & de illo agas cum Deo. Perfugium quærendum eſt ab ira Dei, ne eadem percutiaris. Hæc ingruit tanquam grando ſuper animas, quas extrinſecus invenit diſſipatas. Quam ob rem Iſaias Propheta cap. 26. inquit: *Vade popule meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio*. Hoc pacto cordis oſtium obſtruitur terrenis rebus, & cœleſtibus objectis aperitur.

Qui vere ſpirituales ſunt Deum in ſe ipſis quærunt.

Veri ſpirituales quærunt Deum in ſe ipſis, ac intra ſe illum inveniunt, ubi dici poteſt magis eſſe, quam alibi uſpiam in mundo. Illic proprie regnum ſuum conſtituit: *Regnum Dei intra vos eſt*. Illic nos revocat ab erroribus noſtris, & clamat, Sanctus Auguſtinus ait, ut ad eum revertamur. Per interiorem hanc converſionem Deum melius in nobiſmet ipſis quærimus, & invenimus, quam extra nos in creaturis. Hoc eſt piarum animarum exercitium. Studium earum eſt fugere externa, ac terrena impedimenta evitare, atque in ſemet ingredi, ut cor ſuum conjungant cum Deo. Alioquin toti foris ſumus, cum ſenſus appliciti ſint objectis, quæ illos ſuis percellunt illecebris, & quæ omnes ſpiritus vires abſumunt. *Idem c. 8. lib. 3.*

Quia a mundo ſeceſſerunt, ut in ſolitudine viverent, omne cum mundo commercium debent evitare.

Pleriſque eorum, qui mundum reliquerunt, ut in ſolitudine viverent, accidit, quod commercium, quod cum illo fovent, efficit, ut ſubinde in imo eorum corde reviviſcat, ubi minus id cogitant, & putant ſibi & propter pietatem, & receſſum nihil eſſe tale metuendum. Mundus illos ſemper retrahit, cum ad id eos diſpoſitos invenit, vel melius ipſi ſe iterum in mundum conjiciunt. Fax, quæ extinguitur, repente rurſus accenditur ſola, ſimplicique ſumi communicatione. Extincta videtur, & revera eſt; attamen rurſus corripit ignem, quia aliquam adhuc habet rationem, & aliqua ex parte attingit id, quod illi reddere poteſt lumen, quo caret. *Abbas Trappenſis tomo I. chriſtianorum effatorum*.

Solitudo noſtra otioſa eſſe non debet.

Magna benedictio eſt in ſolitudine delituiſſe, ac vitam ſuam in ſilentio traducere, dummodo tantum deferatur Deo, quantum negatur hominibus, & cum illo totum habeatur commercium, quod non habetur cum illis. Attamen cum facillimum ſit, inutilem in ſolitudine vitam ducere, ſeu illic maneas quin aliquid agas, ſeu actiones neque puræ, neque animatæ ſint, uti eſſe deberent centum eſt, non deeſſe tibi cauſam metuendi, ac diffidendi de omnibus viis tuis idque eo magis, quo difficilius eſt eas cognoſcere, quæ rectæ ſunt, ab illis quæ ſecus. *Idem*.

Solitudinis bona nunquam ſatis intelliguntur.

Beati, qui ſolitudinis guſtum ſentiunt, vel potius, qui ibi inveniunt Deum, eumque audiunt. Multi illuc divino ducuntur ſpiritu, quibus nihilominus Deus gratias eaſdem non largitur. Licet enim de hominum turba egreſſi fuerint, & ſolum deſiderium ſerviendi Domino, & conſulendi ſaluti ſuæ vera extiterit receſſus ſui cauſa immo impares ſint, qui rurſus caput mundum verſus, quam reliquerunt, convertant; tamen Deus juſtiſſimo conſilio ſinit, illos non carere agitationibus, & curis, neque permittit, ut profundam pacem, quam quæſiverunt, inveniant. Geſtit ille eorum exercere patientiam, & fidem, & fidei, atque perſeverantiæ ipſorum tandem concedit, quod illis converſionis initio negavit. *Idem*.

Initum ſecedendi ad aliquot dies conſilium non prodeſt, niſi curetur, ut conſilia, quæ ibi capi poſſunt, ad opus deducantur: etenim de ſtatu tuo nequaquam judicium ferendum eſt ex perfunctoriis diſpoſitionibus, in quibus es; ſed potius ex effectibus, & iis, quæ conſequuntur; neque enim deſunt plurimi, quibus ſatis eſt ad decem dies bonos eſſe, & frugi, ac mox ad intermiſſos habitus reverti. *Idem tomo primo*.

Beati ſunt illi, qui nullum amplius habent cum mundo nexum, & qui in ſolitudine vivere poſſunt, quin ab ordine a Deo conſtituto recedant. Hoc bonum eſt, quod ſatis non cognoſcitur; pauci illud cupiunt, & illi, quibus illud largitur Deus, & quos ipſe ſinit perfrui, ſæpe id minime faciunt, quod debent, ut omnes percipiant utilitates, & bona, quæ eidem adnectere voluit. *Idem*.

Sancti amarunt ſolitudinem & ibi ſanctificati ſunt.

Videmus prophetas, quos ſpiritu ſuo replere volebat Deus, vulgo in deſerta ſe recipere conſueviſſe. Divinus JESU CHRISTI Præcurſor illuc ingreſſus eſt ab infantia, ut orationi vacaret; innumeri novæ legis ſolitarii, & pœnitentes inſtiterunt veſtigiis primorum horum mundi ſolitariorum, ut ſanctitatem acquirerent. Et profecto heroicus eſt conatus, abrenunciare hominum ſocietati ob innocentiam tuendam S. Bernardus: *Nomen ſolitudinis nomen miſeriæ eſſe*. Quamobrem cum rationis particeps homo natus ſit ad ſocietatem, magnum Deo offert ſacrificium, cum illi abrenunciat. Attamen quantumvis triſtis ſit ſolitudo, hac in vita pars eſt communis animarum ſanctarum; hæ in ſolitudine purificantur, Deum agnoſcere diſcunt, & cum eo ſpiritualem contrahunt affinitatem. *Specimen orationum panegyricarum tomo ſecundo*.

SPECTACULA.

COMOEDIÆ, CHOREÆ, SALTATIONES.

MONITUM.

DE alea, cæteriſque fortunæ ludis in titulo de ſolatiis egimus; hic vero agendum de ludis publicis, qui ſunt cum ſpectaculis conjuncti, cujuſmodi ſunt comœdiæ, & choreæ aliaque id genus, quæ integra pietate, pudore, & chriſtiana modeſtia vix, & ne vix quidem fieri poſſunt. Spectacula, quæ ipſi etiam Ethnici improbarunt, chriſtianorum Imperatorum leges proſcripſerunt, conciliorumque damnarunt: qua in re tria notanda ſunt illis, qui hujus argumenti concionem adornare aggredientur.

Primum eſt, plurimum intereſſe diſcriminis inter ea ſpectacula, quæ hodierna die exhibentur, & antiqua, contra quæ ſancti Patres ſummo zelo ſuccenſi invecti ſunt: quandoquidem ex theatris exularunt impietates ſacrilegæ, turpeſque obſcænitates, & quidquid urbanitati, & religioni palam erat oppoſitum; & chriſtiana religio penitus ſuſtulit amphiteatrorum crudelitates, & certamina gladiatorum, ubi humanus ſanguis effundebatur, atque hominum mors hilare erat ſpectaculum. Verumtamen his etiam temporibus non minus periclitatur pudor, aliique affectus, quos ſpectacula ciere poſſent; vitium enim, quod ibi ſæpe latet ſub alicujus virtutis perſona ſenſim, & ſine ſenſu in animum adrepit, & affectiones callide pertractatæ majorem impreſſionem efficiunt.

2. Notandum eſt, ne nocentium ludorum, ſpectaculorumque nomine illa etiam complectaris, quæ omni culpa vacant, qualia ſunt equorum curſus, navalia certamina, prælia ferarum, in quibus leones cum tauris committuntur, aliaque id genus, quæ in publicis ſolemnitatibus populo ſpectanda traduntur.

3. Denique cavendum eſt, ne quid hoc in argumento nimis exaggeretur, & omnino ne mortalis peccati nota iis omnibus inuratur, qui comœdiis, vel choreis interſunt ſine ulla exceptione: quandoquidem non deſunt, qui facere nequeunt, quominus interſint urbanitatis ergo, & obſervantiæ erga eos, a quibus intereſſe coguntur: eorum vero, qui de more iiſdem interſunt, periculum ſatis exaggerari non poteſt. Attamen non licet nimis acribus Sanctorum Patrum locutibus uni, quas adferre debuimus, niſi aliqua modificatio adhibeatur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti lineamenta.

I. DE periculoſis ſolatiis generatim, comœdiis, choreis, ludis publicis, ſpectaculis, mimiciſque, vel inhoneſtis repræſentationibus.

Non fert animus honeſta vituperare ſolatia: hæc nonnunquam neceſſaria etiam ſunt ad animum reficiendum ſeriis defeſſum occupationibus, nec non ad recreandum corpus laboribus nimiis infirmatum: ea vero probari nullo modo poſſunt, quæ peccati ſunt cauſa, & quæ mores corrumpunt. Hujuſmodi ea ſunt, quæ per pietatis relaxationem in chriſtianam religionem invecta ſunt, veluti choreæ, comœdiæ, & ſpectacula quædam ad voluptatem dumtaxat inſtructa: ubi tria poſſunt conſiderari, ex quibus tres concionis partes fiunt. 1. Solatia hæc eſſe profana, evangelicis præceptis, & Chriſtiani hominis officiis oppoſita. 2. Funeſta eſſe innocentiæ, boniſque moribus contraria. 3. Non ſine ſcandalo fieri, & per ea vitium probari.

Primum igitur, ut liqueat ſpiritui chriſtianæ religionis eſſe oppoſita, animadvertere ſatis eſt, chriſtianam religionem profeſſionem eſſe humilitatis, pœnitentiæ, & mortificationis, ac fugæ earum rerum omnium, quæ ſenſibus noſtris blandiuntur; e contra vero finem eorum, qui hæc nobis procurant ſolatia, atque hæc ſpectacula repræſentant, eſſe omnem, quam poſſunt, oculis, auribuſque præbere voluptatem, & palpare infelix illud ſtudium, quod homines in voluptatem pronos efficit; necnon conſilium eorum, qui ad hæc ſpectacula currunt, vel frequentes profanis hiſce cœtibus adſunt, eſſe eam omnem percipere, & guſtare voluptatem, quam in ipſis ciere poſſunt objecta, quæ illic exhibentur, & actiones, quæ ibidem fiunt. Quid ergo magis oppoſitum chriſtiani hominis profeſſioni, qui ad luſtrales baptiſmatis aquas pompis, vanitatibus, mundique voluptatibus abrenunciavit?

2. Hæc ſpectacula, atque ſolatia ad voluptatem tantummodo inventa innocentiæ funeſta ſunt, moreſque corrumpunt. Nihil hoc certius. Ibi enim videtur, ibi auditur, quidquid ad peccatum, vel dicam melius, ad flagitioſiſſimæ vitæ licentiam poteſt impellere. Cum hilaritate & voluptate in comœdiis audiuntur, atque videntur teneri amores, & alia ad libidinem promoventia; necnon conſpiciuntur mulieres iis omnibus circumornatæ illecebris, quas placendi cupiditas excogitavit. In choreis objecta nihil minus periculoſa ſunt; omnia libidinem perflant, loci, temporiſque circumſtantiæ, perſonarum in omnem hilaritatem effuſarum ſocietas, licentia quam ſibi quiſque vindicat &c.

3. Hæc ſolatia ſcandalo non vacant: qui illa præbent, fovent ſcandalum eorum, qui iiſdem intereſſe conſueverunt; quia ea quodammodo probant præſentia ſua, præſertim vero ſi illi ſint vel genere, vel dignitate aliqua conſpicui, vel qui morum probitate, ac vitæ meritis aliquam ſibi adepti ſunt exiſtimationem; alii enim eorum exemplo reguntur.

1. Cauſæ, quæ mundi ſectatores ad choreas, & II.
theatra compellunt, efficiuntque ut frequentes id genus ſolatiis interſint, paſſim malæ ſunt; interſunt enim, ut ſatis ſuæ faciant curioſitati, & vanitati, ut videant, & videantur; neque ullam ſanam inveneris cauſam, quæ probare poſſit conſuetudinem eo conveniendi. 2. Quidquid ibi videtur, & auditur malum ſuadet, quod probare poteſt inductione eorum, quæ in hiſce laudis atque ſpectaculis accidunt. 3. Inde vero nihil refertur niſi innocentiæ jactura, ac prava impreſſio, quam efficere poſſunt amores ad vivum exhibiti, & perſonæ, quæ ſcenam agere viſæ ſunt.

Credunt, choreas potiſſimum theoretice ſolatium III.
eſſe